



J. Chelsum

D. GVILIELMI CRICHTONI
DE
FIDE HVMANA
LIBRI QVATVOR.

Ἐι γαρ ἐτι ἀνθρωποις ἠρεσκον,
Χριςου δȣλος ȣκ ἀν ἠμην. Gal. I. 10.



TRAIECTI AD VIADRVM,
IMPENSIS ANTONII GODOFREDI BRAVNII.
MDCCLXXI.

VIRO
SVMME VENERABILI AC
DOCTISSIMO
IOANNI THEOPHILO
TOELLNERO
SACRAR. SCRIPTVRAR. DOCTORI
PHILOSOPHIAE IN ACADEMIA VIADRINA
ORDINARIO, THEOLOGIAE EXTRA-
ORDINARIO PROFESSORI
S. D. P.
GVILIELMVS CRICHTON.



olent quidem illuſtribus Maecenatum nominibus libros ſuos auctores noſtri inſcribere, quos, quamquam potentiorum gratia ego omnium

maxime indigeo, propterea non ſe-
quor, quod me nihil ſcripſiſſe cogno-
ſco, quod illuſtrium virorum nomini-
bus dignum ſit. Quare TIBI vero,
CONIVNCTISSIME COLLE-
GA, munuſculum hoc offerre malim,
ex animo meo cognoſces credo, quem
TIBI dudum deditiſſimum habuiſti.
Siue enim ſtudiorum noſtrorum ac
conſiliorum conſenſum, ſiue qua me
deuinxiſti, familiaritatem, ac plena
illa humanitatis officia ac ſtudia, qui-
bus me Tuum feciſti, mecum reputo,
ne in ingrati hominis crimen incur-
ram, vereor, ſi obſeruantem, TVI-
que ſtudioſiſſimum animum declarare
nollem. Non equidem ſpero, fore
vt, quae in his libris diſputata ſunt,
TIBI omnia probentur, TE tamen
diſſenſum, ſi quis fuerit, in meliorem

par-

partem accepturum esse, non spero modo, verum etiam confido. Noui enim humanitatem Tuam, et si dicere fas est, Tuum in me animum, ac quod priuati hominis amore longe est liberalius, ardentissimum, quo flagrare soles, propagandae veritatis pietatisque, idque et sapientissimum et religiosissimum studium. In hoc enim et dies Tuos, et partem noctium, quin TE etiam consumis ipse, vt non modo liberaliori veri honestique sensu imbuantur dociles animi, atque ex disciplina Tua egrediantur, qui res sacras et doctrina sua, et virtute iuuent, verum etiam ex libris Tuis quam diligentissime elaboratis tam philosophicae, quam theologicae litterae, Christiana etiam doctrina liberaliora incrementa capiant, Tua adeo in

Chriſtianam ciuitatem continuo augeantur merita. Quod ſi legendis noſtris ſubſeciui temporis aliquid tribueris, nec ea ad augendum veri ſtudium inutilia omnino iudicaueris, nobis quam maxime gratulabimur. TV vero, quo diutius de rebus humanis bene mereri poſſis, vt proſperiori vtaris valetudine, vt pia conſilia Tua, ſtudiaque omnia rata habeat, eaque in poſterum etiam reipublicae ſalutaria eſſe iubeat, DEVM ex animo precamur. Vale.



PRAEFATIO.

Quamquam eorum morem non approbamus, qui libros ſuos in praefationibus copioſe commendare ſolent: noſtrorum tamen librorum ea nobis ratio eſſe videtur, vt de conſilio, quod in his ſcribendis ſecuti ſumus, ſententia breuiter ſaltem exponenda ſit. Septimus circumagitur annus, quum Halae exſequendi, cui praeeramus, muneris officii cauſſa *de proſcribenda ex purioribus ſacris humana fide* ſcriptionem ederemus. Placuerat cauſſam perſequi, quae et grauis, et ſaeculo noſtro, rerumque noſtrarum conditioni accommodata viſa erat. Quam lucubratiunculam quum viris fidei atque auctoritatis pleniſſimis probatam quidem, ſed, quod minoribus libris, qui in nundinis non proſtant, accidere ſolet, quamquam eius penes nos exemplar nullum eſt, paucis no-

tam, neque per ſeptem illos annos popularium opinionum vim imminutam eſſe vidimus, iteratam editionem non alienam fore putauimus. Omnis vero diſputatio in quaeſtione *de humana fidei auctoritate* verſatur. Iniquiſſima quidem rei huius ratio in Romana eccleſia eſt, quae pontificem in DEI filii loco ponit, eiusque praeceptis ac decretis diuinam auctoritatem tribuit: quae vero impietas quum iam dudum notata ſit, rem, quae apud homines purioribus ſacris addictos dubitationem nullam habet, non repetere, ſed humanae potius fidei, quae in repurgatis etiam ſacris ſupereſſe videntur, reliquias perſequi voluimus. Patres eccleſiaſtici, reformatores, factorum in conciliis decretorum ſymbolorumque auctores *homines* fuerunt, fidesque, quae eorum auctoritatem ſequitur, *humana* eſt. Cuius auctoritas quo rectius aeſtimari poſſit, de vniuerſo eius genere praemittenda nonnulla, et totius ſententiae fundamenta quaſi ponenda eſſe duximus. Hanc vero maxime legem nobis impoſitam voluimus, ne de eo diſputaretur, quod potuiſſet, nunc aut olim fieri poſſet, ſed ex factis rebusque indubiis conficerentur omnia. Quare et in diiu-

diiudicanda humanae fidei auctoritate, et in laudandis fructibus meritisque eius locupletissimis testibus, et quae nobis firmissimae visae sunt, rationibus vsi sumus. Nec fuit, cur, cum editam olim scriptionem quam diligentissime recognosceremus, sententiae nostrae nos poeniteret. Quo factum est, vt nihil fere immutatum, nec adeo multa addita sint. Quae vero addidimus, partim ad illustranda, partim ad ea, quae dicta sunt, confirmanda, aut confutanda, quae opponuntur, argumenta faciunt. Non enimuero dubito, fore, qui, quoniam humanae fidei in repurgatis sacris reliquias superesse negant, totam hanc disputationem superuacaneam esse, nosque cum laruis pugnare iudicent. Doleremus certe vicem nostram, si nobis cum commenticiis aduersariis res esset: sed salua res est, non fictam, sed veram hominum sententiam refellimus. Quod si res se aliter haberet, ne sensibus quidem nostris fides in posterum habenda esset. Ex pluribus vnum alterumue exemplum commemorare fas esto. Legimus oculis nostris, virum doctum ob propositam *de descensu ad inferos* sententiam suam a celebris diarii auctoribus

de ſymbolicis libris admonitum eſſe. His auribus noſtris paucos abhinc annos audiuimus virum theologos noſtros, qui plus quam Lutherus, Melanchthon, Olearius, aliique magni viri (quos illius laudibus longe maiores eſſe dudum cognoueramus) videre velint, in indoctae multitudinis concione magno animi impetu vituperantem. Summa quidem iniquitas eſſet, et apertus *papiſmus*, ſi quis publice docere vellet, conciliorum et ſymbolorum eam, quae ſacrorum librorum eſt, auctoritatem eſſe: qui vero factum eſt, vt Θεοπνευστιαν, *mediatam* dicunt, humanis libris vindicarint? quid cauſſae eſt, cur ὀρθοδοξιαν non tam ex ſacris, quam ex humanis libris aeſtiment? negant, hominem per errorem labi non poſſe, ita vero ſe gerunt, ac ſi non negarent. Non ſolum hominum decreta, ad quae ſacras litteras detorquent, vera eſſe, ſed etiam fieri non poſſe, quin veri ſit amans, qui ab illis decretis abhorreat, opinione ſua anticipant. Quoad ergo erunt, qui a reformatorum aut conciliorum decretis ſymboliſque recedere nefas eſſe exiſtiment, nos vero errori libros noſtros oppoſuiſſe credemus. Quos vero iis non ſcripſimus, qui

ſen-

ſententiis ſuis inſenuerunt, easque mutare aut incommodum, aut turpe, vel impium etiam putant. Magni et diuturni morbi difficilius curantur. Vt ii vero, qui in religionis et theologiae naturam diligenter inquirendum eſſe opinantur, qui in eo liberalem ponunt operam, vt olim res Chriſtianorum conſiliis ſuis ac ſtudiis adiuuent, ii etiam, qui veritatis cognoſcendae ſtudioſi ſunt, quamquam nullo publici muneris officio tenentur, de humanae fidei auctoritate recte iudicare diſcant, nos equidem mallemus. Quod ad nouitatem attinet, non huius, ſed veritatis commendationem ſecuti ſumus. Fuerunt, qui argumenta noſtra omnia facili negotio refutari poſſe adfirmarent, quod quamquam facile adeo fore non ſperamus, ſi quis tamen erroris nos conuicerit, hunc, ſi rem ſuam liberali animo egerit, bene de nobis meritum, nos vero per errorem lapſos eſſe, publice confitebimur. Accidet credo, vt in libris noſtris candidis etiam rerum aeſtimatoribus diſpliceant nonnulla, quae excuſanda eſſe videntur. Ea fere eſt ſaeculi noſtri ratio, vt libri Latino ſermone ſcripti paucos habeant lectores, quam ob rem libros noſtros

me-

melius forte commendassemus, si vernacula lingua vsi essemus. Sed si quid videmus, res ipsa hoc recusauit. Nos equidem dubitauimus, an disputationes nostrae cum homine litterarum omnino experte communicandae sint. Neque docendi via id patiebatur, propterea quod antiquorum auctorum, quae interponenda erant, testimonia non grata admodum Germanicae scriptionis ornamenta fuissent. Potuissemus equidem aliam omnino rationem sequi, et philosophos imitari, qui auctoritate omni neglecta solas rerum rationes, easque ab affectionibus earum et natura repetitas persequuntur, aut eos adeo, qui alienae, interdum etiam suae modo delectationis caussa scribunt, tum vero aut historicis argumentis vti, aut rem certam efficere non potuissemus. Verum non fuit committendum, vt, qui humanae fidei auctoritatem impugnamus, nobismet nimiam tribuere auctoritatem videremur ipsi. Facile ergo patiemur eorum vituperationem, qui nos a sensu venustatis alienos, nec elegantissimum antiquorum, sed rusticiorem nostrorum hominum morem secutos esse dixerint, quos acutae naris homines et rerum, et

con-

consilii, et litterarum discrimina cogitent rogamus. Neque probabunt credo, nos multis in locis alienis verbis vsos esse: sumus vero vsi, quod vim eorum, quum vellemus, vt sententiae nostrae veritatem perspicere quisque possit, qui velit, nos exprimere posse dubitauimus. Fore vt minus moleste ferant speramus, nos libris de fide humana alium singularem, eumque ad rem, de qua disputamus, accommodatum adiunxisse. Quoniam enim *fundamentalium articulorum* facta aliquoties mentio erat, vt de iis, quae ad hos pertinent sententia nostra recte percipiatur, librum *de praecipuis Christianae religionis capitibus* adiiciendum esse putauimus. Tria demum sunt, quae lectorem admonitum volumus. Primum est, ne ea, quae de *systematica* methodo diximus, male intelligat. Non de ratione theologiam, sed religionem tradendi, neque de methodo naturali et rerum rationi accommodata; sed de ea, quam vulgo *scientificam* dicunt, locuti sumus. Alterum ad Sandii de patribus Antiochenis iudicium pertinet. Postquam libri iam Halensi typographo missi erant, na-

cti sumus bibliothecam patrum, in qua *) extat epistola missa Paullo Samosatensi ab orthodoxis episcopis synodi Antiochenae. In hac se Arianismi vestigia deprehendisse putat Sandius. Episcopi vero se exponere adfirmant *acceptam a principio, traditam ac seruatam in catholica ecclesia fidem.* — — *Filium genitum esse* dicunt, *vnigenitum, imaginem DEI inuisibilis, primogenitum omnis creaturae. sapientiam et verbum, ac virtutem DEI ante saecula, non praecognitione, sed substantia et hypostasi DEVM* — — *Verbum simul*, inquiunt, *et DEVS, per quem omnia fecit Pater, non tamquam per instrumentum, neque tamquam per scientiam non per se existentem* — — — *qui implens voluntatem paternam patriarchis apparet* — — — *aliquando quidem tamquam angelus, quandoque vero tamquam dominus, quandoque autem DEVS esse adfirmatur. DEVM enim vniuersi impium est existimare vocari angelum: Filius vero angelus Patris est, qui est ipse dominus et DEVS.* — — — *Si autem Christus DEI virtus, et DEI sapientia ante secula est, sic et quatenus Christus vnum et idem est substantia,* quam-

*) Col. Agr. 618. T. III. p. 77.

quamuis multis notionibus cogitetur. — — E quibus (praeter loca enim, quae adferunt ex ſacris libris, nihil fere omiſimus) facile quisque colliget, quae de Sandii opinione ferenda ſententia ſit — — — Poſtremo vere confitemur, nos graui dolore tangi, quod viris doctiſſimis, iisque non venerandis modo, ſed amabilibus etiam contradicendum fuerit. Fuit autem et maior veritatis amor, et honeſtior. Neque dubitamus, quin diſſenſum noſtrum aequo animo laturi ſint, quos, quamuis ſcriptionem noſtram inutilem iudicarint, ſuſpicere non deſinemus. Id vero cruciat animum, ſaepeque anxium dubiumque tenet, quod comprehendere non poteſt, quo tandem fato accidat, vt viri doctiſſimi, et Chriſtianae pietatis adeo ſtudioſi, vt hominem fabulam libenter ſpectantem quam grauiſſime peccare iudicent, opinionum diſſidii intolerantiores ſint, ac homines, qui theologos bono animo errantes e communione ſua eiiciunt, laudent, eorum duritiem approbent, doctores humanorum librorum auctoritatem non ſecutos perfidiae publice accuſent, ſi quis Foſterum ἁγίου πνευματος plenum fuiſſe dicat, aut Verneti

libros

libros commendet, hoc moleſte ferant, ne
que hanc ſuam inuidiam ab humanitate alie
nam eſſe videant. Ni omnia nos fallun
ex hoc quidem exemplo intelligitur, inte
eccleſiaſticam et Chriſtianam ὀρθοδοξίαν ma
gnum diſcrimen eſſe, viroſque pietati ded
tiſſimos in ethicorum, eorumque grauiſſ
morum errorum periculum incurrere, ſi
fidei humanae emancipatint. Agite fid
ſpeique ſocii! excutite illiberale iugum, n
reſtitutae libertatis immemores, eaque i
digni eſſe videamini. Si hominum eni
voluntati inſeruimus, ſerui IESV eſſe no
poſſumus. Nolite mirari, nos ea conte
tione, quam in re adeo graui illaudabile
eſſe non facile quiſquam adfirmauerit,
commendanda et defendenda libertate vt
cum non magnae modo grauesque cauſſ
ſint, quae ad ſtudium libertatis ita quemqu
maxime excitant, vt quiſque optime pra
paratum pectus habet, quaſque in libr
noſtris expoſuimus, ſed domeſtica etia
exempla habeamus virorum, qui humana
fidem forti eoque Chriſtiano animo abiec
runt. Veritatis nempe paciſque amor pr
ſcis Academiae noſtrae luminibus propri
quaſi et natiuus ſplendor fuit, vt nobis,

vell

vellemus ab eorum veſtigiis aberrare, negligere veritatem, humanam auctoritatem ſequi, et in inuidiam atque altercandi libidinem delabi, turpitudinis triſtiſſimam maculam inurere videremur ipſi. Quae dixit olim publice IOANNES BERGIVS in oratione ſacra Regiomonti Poruſſorum habita, digna ſunt, quae omni poſteritati commendentur, et theologorum in Viadrina noſtra, cuius ſummum quondam ornamentum BERGIVS fuit, vndique circumſonent aures. „Libere fateor, inquit, noſtram fidem pendere minime ex „hominum ſcriptis, neque Lutheri, ne„que mortalium cuiusquam, ne ſynodis „quidem, confeſſionibus et formulis, mul„to minus conſtitutionibus ciuilibus, aut „principum priuilegiis. Qui vero iſtis „confidit, illi reſpondere liceret illud Iere„miae: propheta, penes quem ſomnium „eſt, enarret ſomnium, et penes quem eſt „verbum meum, eloquatur verbum meum, „quid vero iſti paleae cum tritico? ſic et „nos dicemus: vates, qui priuilegiis et ci„uilibus legibus addit doctrinae ſuae aucto„ritatem, is doceat et praedicet priuilegia

 „ſua,

„ſua, qui vero verbo diuino credit, is do-
„ceat verbum diuinum, quod quidem ab
„humanis priuilegiis alienum eſt, et id vr-
„get, quod Dominus omnibus huius ter-
„rae regibus longe ſuperior conſtituit.
„Quam rem in dubium vocanti recte pote-
„runt opponi, quae reſponderunt olim Iu-
„daeorum antiſtitibus PETRVS et IOAN-
„NES: vtrum apud DEVM aequum ſit,
„vobis obtemperare potius, quam DEO,
„diiudicate. Suſpecta religio eſt, cuius
„auctoritas in priuilegiis humanis ponitur,
„et his vult aduerſariorum ſententiam fran-
„gere. Quam IESVS docuit, fuit ab
„iſtis priuilegiis aliena religio. An Apo-
„ſtoli illis ornati erant, quum ad gentes
„abirent, ſanctam doctrinam praedicaturi?
„longe alio muniti erant priuilegio: quum
„vos inſectabuntur in aliqua vrbe, fugite
„in aliam. Quo cum priuarentur iniuria
„ſaeculi, alio donati ſunt, eoque longe
„praeclariſſimo: quisquis me agnouerit
„apud homines, eum ego quoque digno-
„ſcam apud patrem meum, qui eſt in cae-
„lis. Animam ſuam qui inuenerit, per-
„det, et qui mei cauſſa perdiderit, inue-
„niet.

„niet.„ Haec quidem immortalis ille Bergius, quae quoties lego, pietatem optimi viri, et fortem animum vehementer admirari soleo. Habuit virtutis suae liberales aemulatores. Non dubito, quin assentiat mihi candidus lector, ac mecum in reuerentiae sensum traducatur, vbi in memoriam Strimesiorum atque Iablonskiorum amabilia nomina reuocauero. Quum sexto huius saeculi anno inter iubila non nostrae modo ciuitatis, sed omnium etiam bonorum, quin doctissimorum virorum, qui peregre, et ex regionibus longo locorum interuallo a se disiunctis huc conuenerant, et quod maximum est, coram Serenissimo Rege, summo dignitatis Porussicae auctore, reparatore Academiae nostrae, et in summa frequentia ac celebritate ad summos in theologia honores euehendi essent viri digni istis habiti, vir ille integer et priscae fidei, SAMVEL STRIMESIVS in oratione in illa solemnitate habita, in verba erupit magnum veritatis amorem quam apertissime declarantia. „Vt in omnibus, inquit, „assertis vestris istum (sacrum codicem) „maxime consulendum audiendumque scia-

 „tis,

„tis, et ad hunc humana ſcripta quaecum-
„que, ipſa quoque *oecumenica*, nedum par-
„ticulariora ceu fallibilia, et non niſi vel
„per immane ſacrilegium, vel per in-
„ſignem aequiuocationem Θεόπνευστα appel-
„landa, arbitremini examinanda, maxime
„inter diſputandum, vbi valeat apud vos
„Auguſtini illud: nec ego Nicaenum con-
„cilium, nec tu Ariminenſe tamquam prae-
„iudicaturus proferre debes — — —
— — Eodem animo fuit is, quem
nunquam ſatis commode pro dignitate lau-
dare queo, cuius memoria, quod non te-
mere credo, omnium, qui eum norunt,
animis infixa eſt, cuius vmbra, cum ego
equidem profeſſiones meas publice adirem,
ad latus, et in conſpectu meo adſtare, et
neſcio quam circumſpectionem mihi vel in
ipſo muneris primordio praecipere, quam
religionem incutere viſa eſt, immortalis
IABLONSKI. Quantus vir fuerit,
quam eruditus, quam pius in DEVM et
rempublicam, quam ſtudioſus veritatis
aeque ac pacis, et quam ornatus cunctis iſtis
virtutibus, quae dignum nomine ſuo theo-
logum reddunt, norunt, qui per vniuer-
ſam

ſam Chriſtianorum, qui emendatis ſacris vtuntur, rempublicam longe lateque diſperſi ſacris muneribus praeſunt, et, quod ex multorum exemplis cognoui, quam creberrime felicitatem ad animum referunt, quam ſibi contigiſſe recte arbitrantur, cum IABLONSKIO praeceptore vti, eiusque in ſcholis aſſidere liceret. Ille vero et in acroaſibus ſuis, et in libris hoc inprimis commendauit, inhaerendum oraculis diuinis, ex iisque doctrinam ſacram eſſe addiſcendam, nec Chriſtianorum eſſe, quemquam ſequi praeter illum, quem generis noſtri magiſtrum DEVS conſtituit. Quum vero videret, res inter homines purioribus etiam ſacris addictos plerumque longe aliter fieri, non potuit a ſe impetrare, quin exclamaret publice: peccatur Iliacos intra muros, et extra — — — Quoties illacrimantem vidimus grauiſſimum ſenem, quando in narrationem triſtium in ſacra ciuitate turbarum, diſſidiorum, vexationumque inciderat? quoties omnes, qui eum audiebamus, vix potuimus nobis temperare a lacrumis, quum vultu graui ac decoro, et neſcio quam ſanctitatem ſpirante,

te,

te, ore ſuauitatis pleno, verborumque rem tradendam quam grauiſſime et maxima vi exprimentium, quae animum viri pietate et religione penitus imbutum quam luculenter demonſtrarent, conſilio et precibus vere paternis pacis et moderationis ſtudium nobis commendaret, et hoc eſſe, quod velit imitatio Chriſti, quam copioſiſſime doceret? Eheu! Eheu! abiit hinc pius IABLONSKI, ſed quod ſequamur, exemplum reliquit.

Scr. In Academia Viadrina. Prid. Calend. Ianuarii. MDCCLXXI.





DE

FIDE HVMANA.

LIBER PRIMVS.



CAP. I.

RELIGIO ab impietate vitiorumque ſeruitute ad recti amorem homines reuocatur neque ratione quam diligentiſſime contemplanti omnia et perponderanti, neque, quae rationis inopiam ac imbecillitatem ſubleuet, fide carere poteſt. De *ratione* quidem ſine inſania dubitari nequit, neque dubitauit quisquam, niſi miſerabiles illi, qui ſcintillam rationis in animis tamquam ſub fauilla delitentem, quid ipſi agerent neſcii penitus exſtinguere conati ſunt. Hoc enim coeleſti munere, luce et magiſtra vitae, naturae noſtrae ſummo ornamento

femoto et reiecto fordent omnia, in tenebras altamque noctem irruunt, rebusque humanis cunctis omnis ordo, fplendorque, decusque exuitur. Quid tandem erit fides in hominum animis, nifi caeca quaeuis, prout occurrerint, fequendi, defendendi, praecipiendi cupido? Omne euertetur religionis fundamentum, et quae nos ad altius faftigium euectura effe putauimus, ad infimum beluarum conſortium detrudent. Neque tamen rationem *folam* fequi religio poteft: multa enim, magnaque, fcituque maxime neceffaria funt, quae fummi doctiffimique viri, licet eximio ingenii acumine polleant, veroque inueftigando dies dederint noctesque, ex tenebris eruere, grauibus faltem argumentis confirmare non poffunt. Vitam delicta, et quae haec fequuntur, mala fublaturam, improbis dignas fceleribus poenas, probis hominibus praemia allaturam, eamque fine fine ac fine interuallo beatam optarunt faniores philofophi: firmas fpei rationes docere, dubia omnia remouere non potuerunt, neque ad hunc portum totius vitae curfum dirigere aufi funt. Quod fi rationem tollis, tollis fundamentum, totamque fidei arcem deftruis: fide vero ex religionis finibus profcripta, ratio optimo focio ac comite orbatur, atque illius adeo iudicia fecutus in rebus maximi momenti dubius anxiusque haeres, quo olim migratura fit mifera anima, quo fato vfura fcis cum ignariffimis. Qui itaque

neque

neque omnem abiecerunt rationem, neque ea elato ſupercilio confiſi, propriaeque immemores naturae ſunt, in eo conueniunt, in religionis cauſſa *rationi fidem* arctiſſimo iungendam vinculo eſſe: quorum aliqui tamen ab alio ſibi errore cauere non potuerunt, dum de principatu alterutrius cogitantes nunc fidei imperium commiſerint, iuſſerintque rationem ancillari, nunc rationem in ſolium euexerint ſanctae fidei leges daturam. Illiberalem illam quidem de ratione ſententiam, a qua Theologos ne Pontifex LEO DECIMVS quidem dimouere potuit, ex eo tempore ſequi amarunt, ex quo propter AVERROIS de animae mortalitate opinionem, quae ab ARISTOTELE repetita eſſe credebatur, Romae in Concilio Lateranenſi *Philoſophiam pro Theologiae ancilla habendam eſſe* decretum erat. Aſt vana ſunt, et inutilia haec conamina. Quae enim ſororio vinculo copulantur, ſeparare, alterique alterum tamquam ſeruum ſubiicere velle, turpe atque improbum eſt. Quod ſi hac in re de imperio regnoque cogitare vllo pacto licet, tam rationem quam fidem reginas eſſe malumus, quarum vtrique ſua ſint regna iuſtis deſcripta limitibus, quae ſacro ſibi amicitiae iure pactisque mutuis iunctae nunquam inferant pedem in alterius fines, verum in ſuis ſeſe religioſe ac pie contineant. Fides rationi praeſcribere nequit, quoniam ipſa alias vacillaret fides: neque ratio fidei magiſtra

erit, inops enim alienam inopiam non facile leuabit. Neque nobis repugnant, quae Theologi ſacrorum ſcriptorum auctoritate *de captiuanda ratione ſub fidem* docere ſolent. Locutio iſta enim indicat modo, ſancta decreta, cum nullam in ſe contineant repugnantiam, aſſumenda eſſe, licet modum, quo, aut rationes, ob quas aliquid factum ſit, ignoremus. Quod ſanctum vtique officium eſt, et non in fide ſolum, ſed in Philoſophorum etiam concluſionibus, vel ſenſibilibus adeo rebus locum habet. Cum illis ergo, qui hoc fidei et rationis vinculum, quod ipſi docent, rationi conforme, *improprie* imperium vocare, ex huius uero nomine nullum velint ſumere argumentum, lis nobis nulla erit. At rectius fuiſſet, ſi inutiles illas de fidei rationisue imperio quaeſtiunculas omiſiſſent, et legitimos potius vtriusque fines rite et ſecundum ſaniores leges conſtituiſſent. Nondum vero tam bene cum rebus humanis agitur, vt inueteratae opiniones radicitus exſtirpentur, nulloſque habeant defenſores. Vt enim quotidie fere arma agitantur telaque, quibus fidei iura violare volunt ſacrae ciuitatis hoſtes; ita nondum deſunt, qui fidem ſuperſtitioſe colarit, rectaeque rationis vſum, non quidem publice proſcribant, quod impune fieri non poſſet, ſed improbis inſidiis petaſit, et quae neſcio ex rationis vſu exoriantur mala, lamentabili uoce querantur. His merito accenſemus FIDEI HVMANAE cultores, in quo-

quorum caussam his in libris, prout per ingenium nostrum, temporisque, quo excludimur, angustiam fieri poterit, diligenter inquirere constituimus.

LIBRI PRIMI

CAP. II.

QVOD si assensum, qui datur testimonio alterius de re, quam neque nostro sensu, neque rationis ope percipere possumus, FIDEM vocare solent: FIDES HVMANA erit, quam testimonio *meri* hominis rem eiusmodi narrantis adhibent. Ex quo intelligitur, fidem humanam naturalem, et in hominum animis insitam cognoscendi vim solum, verborumque mentem significantium integritatem sequi. Desinit igitur humana esse, quando testem a DEO doctum actumque esse certum est, propterea quod sapientia sanctitateque DEI nititur. Neque praetermittere possumus, licet non omnibus arrisurum sit, meliora enim non pluribus placent, *fidem rationis ope carere non posse.* Siue enim per rationem naturalem quamcumque cognoscendi vim intelligas, vides, fidem in animo sedem habere non posse, nisi notiones rerum ac rationes, quaecumque demum fuerint, sint praegressae: siue rationem voces rerum conclusionumque nexum lucide perspiciendi facultatem, fides nullam firmitatem habebit, et agitata ab aquilone arundine mobilior erit,

nisi fuerit a ratione explorata. *Si per rationem* inquit HVETIVS, *a) homines sumus, an nobis velut abiicienda humanitas est, cum fide vtimur? Res DEI ratio est, inquit Tertullianus — — — non potest intellectus iis assentiri, quae proponuntur sibi ad credendum, nisi ipsi uideantur credibilia. Atqui videri ipsi credibilia non possunt, nisi exploret argumenta, cur credibilia sint, eaque approbet, quae suadeant, ea refellat, quae deterreant.* Cuius auctoritatem, quae nobis eo memorabilior visa est, quo impudentius solet haeresis, in qua fuit vir ille eruditissimus, humanam fidem supra rationem euehere, ponat, quocumque loco quisque velit; qui sine partium studio, rem paullo diligentius contemplatur, hoc inter maxima rationis priuilegia referendum esse fatebitur, vt indiuulsa sit veraque certioris fidei socia. Hac enim destituta fides in temerariam persuasionem caecamque degenerat credulitatem, opinionesque procreat ceteris erroribus omnibus, teterrimisque humani ingenii monstris longe foediores. Cuius rei rationem saecula omnia comprobant. Vnde enim tam absurdae in rebus sacris apud omnes profanos populos opiniones et caerimoniae, nisi ex illa fide? Qui fieri alioquin potuisset, vt homines ratione praediti Iouem Cretensium regem, fratresque Neptunum et Plutonem, Apollinem ex liberalium artium inuentione

a) In Quaest. Alnet. L. I. c. I. §. I. et L. III c. 3 §. 1.

tione clarum, quin Mercurium etiam ob furta atro carbone notatum, aliosque mortales ad deos retulerint, boues tandem, canes, felesque adorarint, porrumque et cepe nefas violare et frangere morſu putarint? *O ſanctas gentes, quibus haec naſcuntur in hortis numina!* Tantum vero abeſt, vt rationi, quod improbauimus ipſi, tyrannicum in fidem imperium committamus, vt multa eſſe ſtatuamus, quae ratio ignoret, fide autem recipienda ac ſeruanda ſint. Fides temeraria eſt, et natura hominum indigna, vbi a ratione ſe auulſerit: aſt ratio iniuſta etiam foret, ſuique immemor ipſa, ſi in fidei iura inuolare, et incomitata, nullisque praeſidiis adiuta ad diuina penetralia pedem promouere vellet. Sufficit, in fide nihil eſſe, quod rectae rationi repugnet, verum multa ſint, neceſſe eſt, quae ratio inuenire, probare, immo quomodo ſint, perſpicere nequeat. Quis eſt, qui erroris arguat COTTAM apud CICERONEM: b) *Omnibus fere*, inquientem, *in rebus, et maxime in phyſicis, quid non ſit citius, quam quid ſit, dixerim:* aut TVLLIVM ipſum, qui, *quarum quidem rerum*, inquit *euenta magis arbitror, quam cauſſas quaeri oportere — — — obſeruata ſunt haec tempore immenſo et ſignificatione euentus animaduerſa et notata — — hoc ſum contentus, quod, etiamſi quomodo quidque fiat, ignorem, quid fiat, intel-*

 ligo.

b) De natura deorum. L. I.

ligo. c) Quum vero omnis diſputatio de fide humana eiusque auctoritate futura eſt, neceſſe eſt, vt fines terminique eius deſcribantur, quo facilius intelligi poſſit, vtrum ei cum religione coniunctio intercedat.

LIBRI PRIMI

CAP. III.

Vt ſenſuum et rationis, ſic fidei quoque certi ſunt termini, vltra quos verum conſiſtere nequit. Qui termini in ipſa fidei natura et definitione conſpicui ſunt: a quibus illi, quibus humana continetur, non differunt, niſi ab hominum natura anguſtioribus cancellis circumſcribantur. Nulla vero fides locum in rebus habere poteſt, quas ſenſibus noſtris percipere aut rationis ope poſſumus; quas teſtes ſcire pro tempore, aetate, loco, ſua aut rerum natura, vel omnino non poſſunt; de quibus ſenſus aut ratio contrarium docent; vbi dubium eſt, an teſtes ſint decepti, an fraudes ſtruant ipſi. Quibus poſitis conditionibus virum prudentem dedecet fides humana. Abſonum igitur eſt, ſenſibus ſuis diffidere, rationem abiicere, patrumque placita et praecepta caeco impetu ſequi. Fruſtra data hominibus iſtis ſenſa et ingenii lumina ſunt, quibus vti nolunt, verum vt arma, quorum nullus vſus eſt, aerugine, ſitu et

c) de diuinat. L. I.

et puluere obduci patiuntur. Temeraria erit fides, quando homines de rebus iudicium ferunt, quas ex leuiſſima modo parte, aut omnino non cognoſcunt, aut ſtudiis adhibitis omnibus cognoſcere nequeunt. Neque locum habebit in ſententiis, quae ex rerum natura effici poſſunt, neque in rebus inſenſilibus. Habenda non erit teſtibus, quorum dexteritas inexplorata eſt, neque lucri cupidinis, auaritiae, nimiae ſui aeſtimationis, ſuperſtitionis nomine ſuſpectis; deneganda denique omnis, ſi recto ſenſuum vſu, vel indubiis argumentis contraria teſtium auctoritati ſententia confirmetur. Quamquam igitur ii non ſumus, qui humanam fidem omnem ex Theologorum conſeſſibus proſcriptam velimus, quum in ceteris etiam diſciplinis, quae ſummam habent concluſionum atque argumentationum grauitatem, ad illuſtrandas commendandasque ſententias multum nonnunquam faciat: *dogmatum tamen veritatem ex fide humana recte vnquam diiudicari poſſe negamus.* Praecepta enim aut poſſunt ex rationis fonte deriuari, aut non poſſunt: ſi poſſunt, noſtro ſtandum iudicio, res ſuo momento ponderanda, et cum iuſtis veri rectique legibus conferenda eſt. Quod ſi nos enim vano auctoritatis ſplendore decipi patimur, non noſtris videmus oculis, ſed aliorum ingenio confiſi, his ducibus nos committimus, incerti, qua via incedamus, an longius recedamus a regio veritatis tramite,

an rectam ad hanc deam viam ingrediamur. Haec puerorum et anicularum consuetudo est sancte tuentium magistrorum placita, vt non digitum ab illis discedere vnquam velint, et qui ad hominum illorum partes abire dubitant, hos vt profanos nimis aspere tractent. — *Turpes vero hae nugae sunt, maximeque sapientis est, veritatem ab opinione seiungere. Nihil magis praestandum, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum est, sed qua itur. Atqui nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quae magno assensu recepta sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus.* — — Sanctae etiam, quas sequi nostrum est, vitae morumque leges fidem istam vetant. Quum enim nos nostrumque animum perficere debemus, ingeniique lumini tantam, quantam possimus, conciliare claritatem, indignum est viro litterato ex fide tenere, quae clarius certiusque scire potest. Non possumus etiam, quin fidem istam ceu monstrum saeuum et pestiferum, quod vinculis hominum animos alliget, et in densissima detineat caligine, peioris sobolis infaustam matrem e medio tollendam, atque posteritati etiam consulendum esse censeamus; propterea quod ex hac fide, quotquot gentes vexarunt, contentionibus, bellis, miseriarumque genere omni lacerarunt, ortae haereses sunt. Quod sectarum studium a ratione eo magis abhorret,

ret, quo certius inter omnes conſtat, tam philoſophicarnm, quam theologicarum diſciplinarum auctores omnes ſuo eſſe iudicio vſos. Improbi eſt, placita ſeu tamquam oracula aliis praecipere, et non doctorum lenitate, ſed tyrannica auctoritate, quae ſibi placent, obtrudere: ſeruilis et abiecti animi, aliorum ſomnia ſine diligenti inueſtigatione aſſumere: defendere vero, tueri, legibus munire, priuilegiis et comminationibus auctoritatem iis conciliare, hominis eſt omni humanitate exuti. Quod ſi vero res tradantur, quae ad philoſophiam non pertinent, tum tandem fidei cauſſa vincet? Diuinae vtique diuina erit auctoritas, humanae ne minima quidem. Quod ſi enim neque de rebus geſtis neque de euentibus, neque de legibus ciuilibus, ſed de dogmatibus diſputatio ſuſcipitur, varia miſeraque fides illa eſt. Quis teſti tuo rem illam mirabilem patefecit? aliquo forte feliciori genio vtitur, aut inter ceteros mortales diuina ingenii alacritate eminet? Video id vnum ſupereſſe, vt ſe id a DEO habere praedicet, quod ab aliis credi iubet: quod ſi demonſtratum fuerit, eſſe e Dei filiis vnum, quibus fidem haberi, licet etiam ſine veri ſimilibus et neceſſariis demonſtrationibus loquantur, vel PLATO iuſſit in *Timaeo*, crede, at fides tua humana non eſt. CICERO quidem: *d) Ego vero*, inquit, *eas* (reli-

d) de natura deorum. L. 3.

(religiones a patribus acceptas) *defendam, ſemperque defendi, nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi, de cultu deorum immortalium, vllius vnquam oratio aut docti aut indocti mouebit, ſed cum de religione agitur, T. Coruncanum, P. Scipionem, P. Scaeuolam, pontifices maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chryſippum ſequor, habeoque C. Laelium augurem eundem ſapientem, quem potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili, quam quemquam principem Stoicorum — — — — — — a te, philoſophe, rationem accipere debeo religionis; maioribus autem noſtris, etiam nulla ratione reddita, credere.* Mirarer philoſophum verbaque tanto viro indigniſſima, niſi ſole clarius eſſet, hoc acutum caput ſub alieno nomine, vt alia vitia populi ſaeculique ſui, quae publice notare nefas erat, ſic caecam etiam fidem caſtigaſſe. Non dedecet vero ſolum liberalis ingenii hominem in rebus ſacris humanam fidem ſequi, ſed improbum etiam eſt et perniciosum, quo quippe diuina violatur religionis auctoritas. Sacri equidem ſcriptores quam apertiſſime docent, praeter traditam a DEO doctrinam nullam eſſe fidei noſtrae normam. Vnum eſt caput, a quo omnia ſacri corporis membra ſuccum et halitum ducunt; vnicus eſt dominus, qui animis imperat. Qui igitur fidem humanam commendant, nouum ciuitati ſacrae caput, nouum dominum addunt, immo legitimi domini auctoritatem imminuunt,

dum

dum ei alium ceu adiutorem adiungunt, eoque efficiunt, vt multi non ob veri, sed commenticii domini auctoritatem religionem defendant. *Quo factum est, vt lasciuire ingenia coeperint, negotiosis ineptiis se dare, inanibus rixis indulgere, eas mouere quaestiones, quas nullius legis necessitas praescribebat, sed inutilis otii altercatio proponebat, de quibus nec interrogare initio decebat, nec interrogatos respondere.* Fides diuina in simplici DEI verbo acquiescit, nec argutias, nec verborum ambages, nec alte repetitas disputationes harumque laudem adfectat. *In simplicitate,* inquit AMBROSIVS, *fides est, in fide iustitia est, in confessione pietas est; non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quaestiones vocat, non multiplici eloquentis facundiae genere sollicitat; in absoluto nobis ac facili est aeternitas, Iesum suscitatum a mortuis per DEVM credere, et ipsum esse Dominum confiteri.* Fidei humanae auctores vero inutilium studiorum sparserunt semina, vnde lolium sterilesque illae auenae. Horum hominum cura saepius in verbis versatur, formulamque a patribus acceptam aliter ac communiter fit interpretantem, aut paullulum ab opinionum tramite recedentem seueri iudices sempiternis poenis addicere pro humanitate sua non dubitant. Omnibus viribus enituntur, vt praeter sacras litteras leges cudantur, neque sacrorum scriptorum verbis, sed asperioribus vocibus, iisque ex profanorum consuetudine

non-

nonnunquam petitis exornentur, quicumque vero has improbauerit, aut decantatum illud *Schiboleth* pronuntiare nequeat, profani hominis loco habendus ſit. O horrendum monſtrum atque ingens.

LIBRI PRIMI

CAP. IV.

VANVS fidei humanae cultus, qui aut peperit falſos commenticiosque deos, aut horum nomina propagauit, ab antiquiſſimis inde ſaeculis ad populos tam rei militaris gloria, quam fama eruditionis, quin religionis etiam ſacrorumque integritate celeberrimos tranſiit. Sanctorum equidem patrum, quibuscum ſermones olim contulit DEVS, morbo iſto laboraſſe religio haud videtur: verum peſtem potius in gentibus a veritate auerſis enatam eſſe, ſi quid in hac cauſſa adfirmare fas eſſet, adfirmaremus. Extant vero in antiquiſſimis profanorum ſcriptorum libris illuſtria fidei huius humanae genti onera Aetna grauiora imponentis exempla. Quis eſt, qui neſciat, quibus fraudibus artibusque ad commendanda praecepta ſua, hisque diuinam auctoritatem conciliandam vſi ſint ſacerdotes? Num caeci illi *idolorum* cultores ſcirent, qui dii, quibusque colendi ſupplicationibus ſint, quaeque perpetranda ſacrificia, niſi ſacrorum antiſtitum inſtituta tamquam diuina oracula accepiſſent? tolle fidem huma-

humanam, veteres auias de pulmone reuelle, falsi cultus, quamuis vehementer ament, simul tolles studium. Neque veri DEI cultores ab hac labe omnino immunes fuerunt. Apud Hebraeos olim, Pharisaeos praesertim, hominum instituta viguisse, horumque adhuc in Iudaeorum sacris multum valere auctoritatem, inter omnes constat. Saeculo equidem Apostolico fidem humanam Christiani secuti non sunt: diuini illi viri monstro huic, vbi vel eminus se ostentasset, fortiter restiterunt. Quum vero consequentibus saeculis, postquam se in sacram societatem contulerant etiam Romanorum Imperatores, facies Christianismi mutaretur, cum ceteris impuri cultus sordibus ex profanorum delubris in Christianorum templa translatum fidei humanae studinm est, rebusque sacris magis magisque in peius ruentibus maxime saeuiit torrentis instar montano flumine rapidi, cui arcendo aggerum vastissimae moles impares sunt. Quae enim maior cogitari potest tyrannis, quam Romana, quae hominem errandi periculo eximit, eiusque decretis vim ac potestatem vere diuinam tribuit? Detestantur nostri hanc impietatem, verum videant, ne foueant anguem in sinu. Mutata rei facies est: in vincula interdum triste illud monstrum coniectum viderunt, qui altero abhinc saeculo viuebant, interfectum, e medio auectum, quamquam tollere voluerunt restituendae puritatis auctores, et sustulissent

ſent, niſi conſiliis ſtudiisque vere piis obſtitiſſet aliorum iniquitas, prorſus ſublatum nos equidem non vidimus. Quot ſunt, qui in controuerſiis, in quas eruditi nonnunquam incidunt, *patrum* antiquorum placita, *reformatorum* praecepta, *conciliorum* decreta, *ſymbolorum* ſacram auctoritatem crepent? Non is ſum, qui omnia, quae patres ac reformatores docuerunt, concilia decreuerunt, conſtituunt ſymbola improbem, aut nullius vſus eſſe adfirmem: quanta autem optimus quisque veri cultor afficiatur neceſſe eſt triſtitia, quando religionis doctores qui vnum DEVM et vnum redemtorem profitentur, et in concione Euangelium ceu vnicam fidei normam commendant, niſi patribus, horum enim vitia aperta nimis ſunt, reformatoribus certe, interdum etiam conciliis, maxime vero ſymbolis tantam vindicant auctoritatem, quanta ſoli verbo DEI tribui poteſt? quamquam enim de theologiae principio ſecundario Lipſienſes Helmſtadienſes Vittebergenſes aliique theologi acriter diſputarunt, illi etiam, qui ſecundarium principium reiicerent, ſe γνησιως Lutheranos, ſuos vero aduerſarios *nouatores* vocarent; *e*) ſunt tamen noſtris etiam diebus, qui hominum decreta nor-

e) Conf. IO. HENR. MAII diſſ. *De unico theologiae principio, quod eſt S. Scriptura Canonica*, habita Giſſae. 1706.

normas ſecundi ordinis conſtituunt et quidem quia concordent cum ſacris litteris. At neſcimus, qui fiat, vt libentius ex ſecundariis normis quam ex primaria, vel verius, vnica controuerſias ſuas aeſtimare immo homines ab his normis ſecundariis recedentes, licet normam primariam ſancte venerentur, et in ſola interpretatione diſſideant, multare, muneribus vel ſedibus etiam mouere, ignominia proſequi, iniuriis laceſſere, vinculis fatigare, ad ſupplicia eaque duriſſima rapere, et ad ſeruandam humanorum ſcriptorum auctoritatem quaeuis diuinis litteris contraria committere ament. Quid ergo mirum, ſi indocta etiam multitudo religionem humana fide amplectitur eam optimam eſſe rata, quam a parentibus ac magiſtris acceperunt, aut quae publicis legibus ſancita et munita eſt. In rebus minoribus itaque rationem ſequi volunt mortales: in re omnium maxima caecutire, aliorumque fidei ſe temere committere malunt. Cum his res nobis non eſt, quibus mederi nemo poteſt, quamdiu fuerint qui morbum iſtum animorum ac peſtem alant, commendent et laudent: ad fidei autem humanae patronos cauſſa agenda eſt.

LIBRI PRIMI

CAPVT V.

QVOD PATRES ECCLESIASTICOS attinet, breuis eſſe potero. Hi enim noſtro aeuo apud addictos purioribus ſacris homines haud magnam habent auctoritatem: quamquam non ita pridem fuerunt, qui ſacros ſermones floſculis, qui ex his hortis decerperentur, optime exornari poſſe, ſibi perſuaderent oratores. Nos ad patrum ſcripta fidem non exigimus, quia ex prima eccleſiae aetate pauca ſuperſunt ſcripta, vix eorum etiam nomina ad nos peruenerunt. Quis noſtrum PAPIAE EPISCOPI, HEGESIPPI, DIONYSII CORINTHII, APOLLINARIS HIERAPOLITANI, IVLII AFRICANI, MILTIADIS, SERAPIONIS, POLYCRATIS EPHESINI, multorumque aliorum libros integros legit? quis inquam vidit? ingens eſt, quos antiquis doctoribus falſo attribuerunt, librorum numerus. Vt erroribus auctoritatem conciliarent, ſub clariſſimorum virorum nomine libros ediderunt. Quibus artibus vſi etiam ſunt librarii illiberalis quaeſtus ſtudioſi, quamquam hi id interdum ex veri auctoris ignoratione feciſſe videntur. DIONYSII AREOPAGITAE, quae circumferuntur, opera ὑποβολιμαῖα eſſe, iamdudum iudicarunt viri docti, quorum iudicium confirmat vir antiquarum litterarum peritiſſimus PETAVIVS, propterea quod ſcri-

ſcriptor ille de Trinitatis et Incarnationis myſteriis diſertius expreſſiusque loquatur. Nec minus obſcurum eſt, librum NOVATIANI de Trinitate TERTVLLIANO, RVFFINI opus in Symbolum Apoſtolorum CYPRIANO, aliorum libros aliis adſcriptos eſſe, quorum magnum numerum reçenſet ROBERTVS COCVS *in cenſura quorundam ſcriptorum, quae ſub nominibus ſanctorum, et veterum auctorum citari ſolent, cum vel ſuppoſititia ſint, vel dubiae ſaltem fidei.* Genuina patrum ſcripta mutata etiam et mutilata ſunt. Iamdudum queſti ſunt viri eruditi, aut temporis iniuria, aut iniquorum hominum fraudibus factum eſſe, ne generalium conciliorum acta integra habeamus, neque, quae superſint, pura atque ſincera ſint. LVCAS HOLSTENIVS in praef. Oper. ATHANASII: *neque ſolius Athanaſii,* inquit, *ea fortuna vt ineptiſſimorum interpolatorum manus ſubiret, cum Chryſoſtomi, Procli, aliorumque homilias ſimilibus ſequiornm ſaeculorum ineptiis foedatas in codicibus regiis inuenerim.* Eandem fortunae iniquitatem ſubierunt ATHENAGORAE, CLEMENTIS ALEXANDRINI, TERTVLLIANI, ORIGENIS ſcripta. CHRYSOSTOMI opus in Matthaeum etiam mutilatum, et primum quidem a Mahuſio, deinde a pluribus a faecibus Arianis repurgatum eſſe dicitur. Patres ipſi ab opinionibus ſaepe diſceſſerunt, noluerunt tamen, vt verba ſua caeca fide recipiantur. AVGVSTINVS ep. XIX. ad HIE-

RONYMVM: *ego ſateor tuae caritati*, inquit, *ſolis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, vt nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe, firmiſſime credam. Alios autem ita lego, vt, quantalibet ſanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ita ipſi cenſuerunt, ſed quia mihi vel per illos canonicos auctores, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.* HIERONYMVS ep. ad Tranq *ego Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum. Nouatum, Arnobium, Apollinarem, nonnullos eccleſiaſticos ſcriptores, Graecos pariter et Latinos, vt bona eorum eligamus, vitemusque contraria iuxta Apoſtolum dicentem*: omnia probate, quod bonum eſt, tenete. CYRILLVS Hieroſ. Catech. IV. *μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταυτα σοι λεγοντι ἁπλως πιϛευσης, ἐαν την ἁποδειξιν των καταγγελλομενων ἀπο των θειων μη λαβης γραφων. Ἡ σωτηρια γαρ της πιϛεως ἡμων οὐκ ἐξ ἐυρεσιλογιας, ἀλλα ἐξ ἀποδειξεως ἐϛι των θειων γραφων.* Quod tandem caput rei eſt, patres multifariam errauerunt. Neque id de indoctioribus modo ſumendum eſt, ſed de omnium etiam doctiſſimis aeque, ac orthodoxias ſtudioſiſſimis, tam ORIGENE et HIERONYMO, quam AVGVSTINO, ATHANASIO et CHRYSOSTOMO, qui in fundamentalibus adeo articulis ex CHEMNITII aliorumque theologorum iudicio errarunt. AVGVSTINVS ſe erraſſe

fatetur ipſe in praef. ad libr. retract. et confeſſ. Caeterum de erroribus patrum praeclara extant doctiſſimorum virorum teſtimonia. Patres ſibi etiam contradixerunt ipſi, eorumque ſcripta non facile intelliguntur, cum propter linguas et dicendi genus, quibus vtuntur, tum propter res ipſas explicandas, quas variis Rhetoricae et Dialecticae artificiis obſcurant et impediunt, quia denique multas voces alio, quam qui nunc in vſu eſt ſenſu, vſurpant. Quamquam vero hi patres in rebus ſacris nullam merentur fidem; magna eos tamen, quae multorum malorum, quibus adhuc premitur Chriſtiana respublica, cauſſa fuit, proſecuti reuerentia ſunt. Cum enim non multo poſt primam Chriſtianorum coniunctionem viguerit illaudabile illud diuina humanis miſcendi ſtudium, quo PLATONIS, vt deinde ARISTOTELIS, immo profanorum philoſophorum tantum non omnium placita et ſomnia cum ſanctiori doctrina conciliare, et arctiſſimis vinculis coniungere voluerunt, ortae ſunt inutiles, triſtes et impiae lites de rebus ad religionis firmitatem et puritatem omnino non pertinentibus, et infinita illa turpiſſimaque, quibus Chriſtiana ciuitas in tot ſectas abiit, diſſidia. Quae enim erat magna epiſcoporum auctoritas tantum valuit, vt hauſta ex impuris riuulis dogmata diuinorum oraculorum inſtar recepta fortiter, tamquam res DEI ageretur, defenderentur. Fuiſſe tamen vel obſcuriſſi-

mis saeculis, qui, quamuis haereseos suae arcem deserere non auderent, aperte satis declararent, quam sequantur de humana fide sententiam, quidque publice tradituri essent, nisi se atrocissimis vinculis constrictos sentirent, vel vno exemplo comprobabimus, et quidem DVRANDI A SANCTO PORCIANO, qui *Doctor Resolutissimus* vt appelletur aeuo suo meruit, cuius verba ex NATALIS ALEXANDRI historia ecclesiastica *f)* ex parte transscribemus. In praefatione in IV. libros sententiarum: *oportet*, inquit, *loqui de mysterio Christi et vniuersaliter de his, quae mere tangunt fidem, conformiter ad ea, quae tradit S. Scriptura. — — — Quae quidem mensura* (fidei, de qua loquitur Paulus in epist ad Rom. XII 3.) *in duobus consistit, videlicet, vt non subtrahatur fidei, quod sub fide est: nec attribuatur fidei illud, quod sub fide non est. Vtroque enim modo mensura fidei exceditur, et a continentia S. Scripturae, quae fidei mensuram exprimit, deuiatur. Et hunc modum, DEO adiuuante, tenere volumus, vt nihil scribamus, vel doceamus Sacrae Scripturae dissonum. Quod si per ignorantiam vel inaduertentiam aliquid dissonum scriberemus, ipso facto pro non scripto habeatur — — — — omnis* homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam incidit in insipientiam bestialem, vt comparatus sit iumentis insipientibus,


f) T. VII. c. V. Art. III.

bus, et ſimilis factus ſit illis — — — *Auguſtinus inter doctores celeberrimus dicit de ipſo III. de Trinitate circa principium:* noli meis litteris quaſi ſcripturis canonicis inſeruire: *ſed in illis et quod non credebas, cum inueneris, incunctanter crede:* in iſtis autem, quod certum non tenebas, niſi certum intellexeris, noli firmum retinere — — — *ex quibus patet, quod compellere ſeu inducere aliquem,* ne doceat vel ſcribat diſſona ab iis, quae determinatus doctor ſcripſit, eſt talem doctorem praeferre ſacris doctoribus, praecludere viam inquiſitioni veritatis, et praeſtare impedimentum ſciendi, et lumen rationis non ſolum occultare ſub modio, ſed comprimere violenter. Nos igitur plus rationi, quam cuicumque auctoritati humanae conſentientes, nullius puri hominis auctoritatem rationi praeferimus, *attendentes quod omnibus exiſtentibus amicis ſanctum eſt praehonorare veritatem.* Haec quidem ille: nos vero ad propoſitum reuertamur. Quanta ſit reformatorum auctoritas vel ex eo patet, quod *extra eccleſiaſticam ſocietatem* ab hoc aut illo viro vere magno conciliatam (haud inaudita, nec antiqua loquor) *ſalutis ſpem nullam eſſe* temere aeque ac impudenter docuerint. Quam impium hoc ſit, vel ex eo intelligitur, quod ab hoc honoris genere maxime abhorruerunt, longeque alia praeceperunt reformatores ipſi. LVTHERVS equidem ſe *Catechiſmos ſuos, Confeſſionem Auguſtanam et*

 Arti-

Articulos Smalcaldenses nequaquam tamquam seuera praecepta, ne pontifices imitari videatur, verum vt historiam, testimonium et fidei confessionem edidisse confitetur. Neque concilia, neque patres, neque se (se scilicet non excludit vir sapiens) quod si res etiam successerit quam felicissime, aeque bene rem acturos esse, ac egit S. Scriptura, id est DEVS ipse, grauiter non minus quam vere adfirmat. Qui restituendis pristinae integritati rebus sacris piam felicemque operam nauarunt, ceteri summi viri nunquam auctoritatem suam argumentorum loco posuerunt, nec aliis voluerunt persuadere, non esse a sententiis suis recedendum, sed in eo enisi maxime sunt, vt sublata omni humana fide soli DEO obsequerentur, et ad huius nutum et voluntatem se totos conuerterent mortales. Restat, vt de conciliorum et symbolorum auctoritate, quae mire quidem imminuta est, lex tamen et norma esse nondum desiit, sententiam nostram proferamus. Sequemur autem consilium CALVINI: *quoties concilii alicuius decretum profertur*, inquientis, *expendi primum diligenter velim quo tempore habitum sit*, qua de caussa *habitum, et* quo concilio quales *homines interfuerint: deinde illud ipsum, de quo agitur, ad scripturae amussim examinari.* Quum etiam sint, qui conciliorum auctoritatem magnam ac venerabilem esse existiment, sitam vero in doctrina, eruditione, veritate, potestate de-

decernendi aliisque virtutibus, quibus eminent illi viri, qui iisdem interſunt, et concilium conſtituunt; hi equidem non habebunt, cur diligentiam noſtram, liberumque de patribus in conciliis leges ferentibus iudicium accuſent.



LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

De nomine conciliorvm diſquirere nil attinet, nec facile iis repugnabimus, qui dici putant a conciendo S.P.Q.R vt comitia a coeundo: verum miror lites de *conciliis oecumenicis*, quae enim hoc nomine decoranda ſint, conuenire inter ſe non potuerunt. Concilium, *ad quod ſacrorum miniſtri omnes, vel epiſcopi ſaltem conueniſſent*, nullum adhuc fuit. In Concilio quidem Nicaeno omnium eccleſiarum per cunctam Europam, Lybiam et Aſiam, miniſtrorumque DEI capita in vnum coacta fuiſſe adfirmat evsebivs, *g)* non tamen diffitetur, aliquos abfuiſſe, *h)* quibus Imperator Synodi mentionem ſcripto ſuo fecerit. Ex Hiſpania ſolus erat hosivs, epiſcopus Cordubenſis, *i)* et ex Gallia

g) L. III. de V. C. c. 7. et 8.
h) c. 6, 1?. Conf. etiam Theodoret. L. I. c. 9-11.
i) quod teſtatur Euſebius de V. C. L. III. c. VII. ex quo

Gallia praeter NICASIVM nemo. Constantinopoli ex occidentali imperio nullus aderat praeter ASCHOLIVM Thessalonicensem. Quare mirus est scriptorum de Oecumenicis Conciliis dissensus. Alii ea esse dicunt, *quorum decreta primaria ad salutem totius ecclesiae spectant, eamque obligant.* Fas igitur erit quaerere, quaenam decreta sint *primaria*, qui *possint* spectare, et *qui spectent* ad totius ecclesiae salutem? ceterum vides, hanc definitionem disquisitioni de oecumenicorum conciliorum auctoritate non posse subiici sine aperto vitio, quod *circulum* vocant Logici, cum *obligatio*, de qua controuersia est, in definitione adeo doceatur. Alii id pro Oecumenico habent, *quod ex maiori parte orbis Christiani coactum, aut quod saltem ex toto Romano imperio*, quod πασα οικουμενη vocabatur, *conuocatum est, et ad quod episcopi tam orientales quam occidentales conuenerunt.* Non tamen ex solo numero Oecumenicum aestimatum esse, ex eo colligo, quod ad Constantinopolitanum contra Macedonium CL, ad Carthaginense VI. vero conuenerunt CCXVII. episcopi, quod tamen pro Oecumenico habitum non est. Quae sententia Concilii Nicaeni cum aliis particularibus

quo loco simul intelligitur, ne episcopum quidem Romanum concilio interfuisse. Etenim της βασιλευουσης πωλεως nomen de vrbe Roma, non vero CPlitana sumendum esse, docet VALESIVS.

bus facta comparatione confirmatur. ATHANASIVS quidem in libro de synodi Nicaenae contra haeresin Arianam decretis, *l*) et in epistola ad solitariam vitam agentes, *m*) vtrum episcoporum in concilio Nicaeno numerus CCC superauerit, incertus est. EVSEBIVS *n*) CCL modo fuisse narrat: SOCRATES vero *o*) Eusebii verba repetens trecentos et amplius fuisse commemorat. Ex quo intelligis, alterum locum mendosum esse. Quod si vero etiam sequi lubet vulgarem sententiam, qua CCCXVIII. episcopos Nicaeae fuisse statuunt, sunt tamen Concilia, in quibus plures fuerunt, et quae maiori adeo iure Oecumenica vocari potuissent, si nomen scilicet ex episcoporum numero penderet, neque tamen vocata sunt. In Concilio Tyrio Anno CCCXXXV. habito, quod oecumenicum fuisse volunt Ariani, non Constantius modo a totius terrarum orbis episcopis condemnatum esse Athanasium adfirmat: verum ad illud ex vniuersa Aegypto et Lybia, Asia item et Europa episcopos conuenisse, docet quoque EVSEBIVS. *p*) Sardicensi, in quo ius appellationum ad sedem Romanam aut institutum, aut quod placet aliis, Pontificis in-

l) Opp. T. I. p. 402. edit. 1600. ex off. Comm.
m) ibidem. p. 660.
n) de V. C. L. 3. c. 9.
o) H. E. L. I. c. 5.
p) de V. C. L. IV. c. 41.

inprimis asseclis, confirmatum est, si SOCRATI, *q)* qui *generale* fuisse adfirmat, et ATHANASIO, *r)* qui *synodum magnam* vocat, fidem habere velis, ex occidentis partibus CCC circiter episcopi, ex oriente vero LXXVI interfuerunt. Ad Ariminense Anno CCCLIX. habitum teste SOZOMENO, *s)* et SVLPICIO SEVERO *t)* conuenerunt CCCC et aliquot amplius episcopi. Atque Hunnericus Vandalorum rex apud VICTOREM VTICENSEM *u)* in suo adversus Catholicos edicto ὁμοουσιον Nicaeae statutum a mille, et qui excurrunt, pontificibus de toto orbe in Ariminensi concilio vel apud Seleuciam amputatum esse: HIERONYMVS adeo (adv. Luciferianos) totum mundum ad hoc concilium confluxisse ait. SANDIVS equidem *x)* hoc concilium quod *generale* vocant BELLARMINVS et BARONIVS, Arianum fuisse putat, quod ex eo, quod eius auctoritatem magnopere timuit Augustinus, non omnino efficitur. Ille vero: *nec ego Nicaenum, nec tu debes*, ad Maximinum Arianum inquit, *y) Ariminense tamquam praeiudicaturus proferre concilium:* nec ego huius, nec tu illius

q) H. E. L. II. c. 20.
r) Apol. 2.
s) H. E. L. IV. c. 16.
t) L. II. c. XLI.
u) L. 3.
x) Nucl. H. E. edit. alt. p. 171. 236. 238.
y) L. III. c. 14.

illius auctoritate detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcumque propriis, sed vtrisque communibus testibus, *res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione certet.* Alii demum voluerunt oecumenicum esse, *quod postquam promulgatum est, ab vniuersa ecclesia recipitur.* Verum nec hoc verum est. Vt enim de illa, quae tam late pateat, consensione nihil dicam, sunt concilia particularia, Gangrense contra Eustathianos, *z*) Carthaginense CALIXTO iudice *a*) anno a Christo nato CDXXV habitum, et Arausicanum secundum sub LEONE M. quibus vniuersa ecclesia (vox sensu vulgari sumitur) assensum dedit. Concilium Antiochiae A. CCCXLI. habitum, cuius orthodoxian, magno cum eruditorum plausu defendit SCHELSTRATENVS, *b*) quod SANDIVS vero *c*) Arianum esse autumat, ab vniuersa etiam ecclesia suo quidem saeculo receptum esse fertur. Quibus omnibus vel illud addendum est, neque omnes conciliorum oecumenicorum canones esse ab vniuersa ecclesia receptos. *d*) Ex quo elucet, quod si de toto con-

z) quod approbauit etiam Lutherus teste WEISMANNO in H, E. p. 328.

a) in tr. *de coniugio clericorum.* Francofurti 1653. recuso p. 283. De Gangrensi. ibid- p. 203-206.

b) WEISMANNVS. l. c. p. 325.

c) l. c. p. 123.

d) quod vir ille stabiliendae conciliorum auctoritatis studiosissimus FRANCISCVS SALMON docet in

conciliorum oecumenicorum genere quaeris, non facile potuisse adfirmari quid sit concilium oecumenicum. *e*) Ex quo nos vero colligimus, conciliorum decreta quam diligentissime esse inuestiganda, neque vllam habere posse obligandi vim, quum supponant rationem et fidem ipsam, multa etiam adhibenda circumspectio sit, vtrum concilium sit oecumenicum, de quo tamen, quale sit, adhuc sub iudice lis est.

LIBER SECVNDVS.

CAP. II.

QVVM Protestantes inter se conuenerunt, QVATVOR esse concilia Oecumenica, NICAENVM contra Arium, CONSTANTINOPOLITANVM contra Macedonium, EPHESINVM contra Nestorium, CHALCEDONENSE contra Eutychetem, neque nos de conciliorum istorum numero disceptabimus. Quam vero aut his, aut ceteris omnibus auctoritatem tribuerint, non facile diuinaret homo, quid somnient doctorum capita, incuriosus. E larga exemplorum messe pauca decerpamus. Non EVSEBIVS modo *f*) maioris momenti controuersias non posse componi

in libro: *Traité de l'etude des Conciles* 1726. sec. edit. Paris. recuso P. I. c. II. Art. III. p. 105.

e) Salmon. ibid. p. 838.

f) de V. C. L. I. c. 51.

poni putat, nisi in synodis: verum CONSTANTINVS etiam eodem Eusebio teste g) ad ecclesias de habito Nicaeae Concilio scripsit, quidquid in sanctis episcoporum conciliis decernatur, id vniuersum *diuinae voluntati* esse attribuendum. GREGORIVS NAZIANZENVS *h*) quatuor concilia vt quatuor evangelia veneratus est. AVGVSTINVS *i*) conciliorum saluberrimam esse ait in ecclesia auctoritatem. IVSTINIANVS *l*) sanxit: *vicem legum obtinere sanctos eccl. canones, qui a S. quatuor conciliis constituti sunt, et confirmati. Praedictorum enim*, inquit, *conciliorum dogmata sicut diuinas scripturas accipimus, et canones sicut leges obseruamus.* Fuerunt etiam post restitutas litteras doctores, iique purioribus sacris addicti, qui de conciliis illis magnifice sentirent. Doctissimus FABRICIVS in Bibliotbeca Graeca *m*) iniquissimum ducit contra conciliorum auctoritatem assurgere. HEBENSTREITVS in systemate Theologiae oecumenicum concilium nihil potuisse decernere ait, quod fuerit a pietate alienum, recte eam ob rem a SCHVBERTO notatus. Quatuor professores Leidenses in censura Confessionis Remonstrantium: *Synodi seu nationales,*

g) Ibidem. L. III. c. 20.
h) L. I. ep. 24.
i) Ep. CXVIII. ad Ianuar.
l) Nouell. 131. c. 1. et Iur. Canon. Dec. 17. c. 2. seq.
m) Vol. XI. p. 99.
n) Sect. XII.

tionales, ſeu provinciales ſuas confeſſiones non eo tantum fine publicant, vt indicent, quid ipſi ſentiant, pro vero et falſo habeant, credant aut non credant, et ſenſa mentis ſuae exprimant, ſed etiam vt iudicent, quomodo de iisdem doctrinis ſentire et loqui omnes orthodoxi ex ſcripturis debeant. Quam ſententiam ſecuti multi alii ſunt. Quae an firma ſint conciliorum ſanctitatis praeſidia, paullo poſt videbimus, ſi ante pauca de ANTIQVITATE eorum diſputauerimus, ab hac enim conciliorum auctoritatem repetere etiam ſolent fidei humanae alumni. At mere libiri et repugnant ipſi, parumque conſtare videntur dum antiquitatis commendatione vtuntur, ante ſaeculum tamen quartum, vel antequam ad Chriſtianorum ſocietatem ſe adiunxerat Imperator Romanus quia eccleſia valde premebatur, et ſacra vix in ſubterraneis conclauibus tuto peragi poterant, oecumenicum atque legitimum adeo concilium, conuocari potuiſſe negant. Quod ſi igitur de quorumuis antiquitate diſputant non conueniet ſecum, quam tenent, ſententia: ſin oecumenica tantum ſalua eſſe volunt, probari nequit antiquitas. Quae de concilio a IESV habito, ac quinque ſynodis Apoſtolicis adferunt, quae neceſſariam vim habeant, probationibus egent: nullum e contrario dubium eſt, ſaeculo primo nullum habitum eſſe concilium, neque conuentum Hieroſolymitanum, cuius hiſtoria Act. XV. legitur, fuiſſe concilium,

et

et si fuisset, nullum post saeculum primum potuisse haberi, quia Apostoli nullos habuerunt successores. o) Res vbique optime componeretur, si iustam traderent concilii definitionem: prout enim aut ad plures, aut ad pauciores conuentus pertinere concilii nomen voluerint, diuersa etiam erit quaestionis resolutio. Quod si THOMASII definitio placet, qui: p) *concilium*, inquit, *est conuentus cleri sub auctoritate principis, vel directa, vel sub aliis praetextibus institutus, eum in finem, vt dissentientes a se haereticos declarent, et ope brachii saecularis coerceant;* vides, sanctos istos conuentus nec diuinae institutionis, nec originem eorum alte adeo repetendam esse. Sin THOMASIVM sequi recusas, et cum aliis facis, qui concilium esse statuunt *conuentum ecclesiasticum, in quo de rebus ad verum DEI cultum spectantibus constituitur*, et concilia celebrata esse scito, quae definitioni isti subiici nequeant, et multos, in quibus de illis rebus constituitur, habitos esse conuentus, et haberi, quibus conciliorum auctoritas tributa nunquam est. Neque nos equidem videmus, qui ex illa definitione effici possit, conciliorum auctorem

C DEVM

o) Conf. MOSHEMII Instit. hist. eccl. L. IV. Helmst. 1764. CHRISTIANI THOMASII vindiciae iuris maiestatici circa sacra. §. 24. Eiusdem diss. de Iure principis circa haereticos. §. 46. 47.

p) diss. de Iur. Princ. c. haer. §. 45.

DEVM esse, quum concursum eiusmodi hominum neque praeceperit, ne laudauerit quidem. Subiecta equidem sunt concilia, et quae in his geruntur, diuino moderamini: quam vero ob rem eorum auctor DEVS dicendus omnino non est, propterea quod mala etiam, et res pessime gestae se eius imperio subtrahere nequeunt. Male in subsidium vocantur verba IESV: q) ὁυ γαρ εἰσι δυο ἡ τρεις συνηγμενοι εἰς το ἐμον ὀνομα, ἐκει εἰμι ἐν μεσῳ αὐτων. CALVINVS: r) *si ex scripturis*, quae sit conciliorum auctoritas quaeritur, *nulla exstat illustrior promissio, quam in hac Christi sententia:* vbi duo aut tres congregati in nomine meo fuerint, illic in medio eorum sum. *Verum id nihilominus* in particularem quemque coetum competit, quam in concilium vniuersale. *Neque tamen in eo haeret quaestionis nodus, sed quod addita est conditio, ita demum fore Christum in medio concilii,* si in suo nomine congregetur. *Quare vt millies episcoporum concilia nominent aduersarii, parum promouebunt: nec ante efficient, vt credamus, quod contendunt,* regi a Spiritu Sancto, quam fidem fecerint, congregari in Christi nomine. *Si quidem tam possunt impii improbique episcopi aduersus Christum conspirare, quam boni et probi in eius nomine coire. Huius rei luculento nobis documento sunt* plurima decreta, quae a talibus conciliis prodiere.

q) Matth. XVIII. 20.
r) Instit. L. IV. c. IX. §. 2.

diere. *Sed hoc postea videbitur. Nunc tantum vno verbo respondeo*, Christum nihil polliceri, nisi iis, qui in suo nomine congregantur. *Quid ergo illud sit definiamus. Nego in Christi nomine congregari eos, qui abiecto DEI mandato, quo vetat quidquam addi verbo suo, aut detrahi, proprio arbitrio quiduis statuunt; qui non contenti Scripturae oraculis, hoc est vnica perfectae sapientiae regula, de suo capite nouum aliquid comminiscuntur* — — — — Quibus nostro iudicio vel hoc addendum est, neque ex verbis illis IESV effici posse, omnia recta fore, quae constituerint, quicumque in sanctissimo nomine conuenerint. Religiosissimi enim homines errandi periculo non sunt immunes: quae ipsis immunitas nobis equidem consciis nusquam promissa est. Vtrum vero in sancto isto nomine ad iudicandum fratres et damnandum conuolarint, ex infra dicendis facile quisque colliget. Nunc vero audi, si placet, quare nullam conciliis, fidem habeamus. In rebus diuinis, si neque rationis lucem sequi, neque rerum vsum adhibere, sensibusque nostris vti possumus, fide dignum non habemus, de quo haud exploratum est, eum in errore versari non posse. Quin vero coacti ad concilia episcopi errare possint, et errauerint, dubitare nefas est. Patres ecclesiastici hoc confirmant, s) et non Pontificiorum modo eru-

s) Vid. GODOFR. WEGNERI diss. de conciliorum auctoritate §. 9. p. 18.

ditissimus quisque, sed GREGORIVS VII. adeo fatetur, t) et ipsa rei naturaeque humanae necessaria ratio comprobat. Qui igitur Conciliis caecam fidem adhibent, Papismum reuocare, vel in Papae locum monstrum centiceps collocare videntur. Romanum enim episcopum hominem erroribus immunem esse negant: conciliis vero, ad quae plures homines conueniunt, immunitatem istam vindicant. Colunt igitur Papam, non quidem illum e sede Romana iura dantem, sed in plura corpora diffusum. Minus etiam videntur a ratione abhorrere, qui vnum hominem ab erroribus liberum esse statuunt, quam qui homines erroribus obnoxios, qui saepius in minimis caecutiunt, vbi se in societatem contulerint, omnino non errare, suaque placita legum auctoritate munire, ceterorumque fidei praescribere posse docent. Vnicam nouimus fidei normam euangelium filii DEI. Humana auctoritas ecclesia vere Christiana omnino exulare debet: vnum habemus religionis moderatorem, vnum legislatorem, qui nos sanguine suo redemit, praeter hunc nec fidei, nec vitae magistrum habemus. Ἑις ἐςιν ὁ νομοθετης, inquit S. IACOBVS v), ὁ δυναμενος σωσαι και ἀπολεσαι· συ δε τις ἑι, ὁς κρινεις τον ἑτερον. Quo sensu Apostolico imbutus: *possunt ergo*, inquit LV-

t) Conf. MOSHEMIVS l. c. saec. XI. P. II. c. III. p. 373. Not. q.
v) Ep. IV. 12.

LVTHERVS, x) *episcopi congregati, seu concilium errare sicut alii homines tum publici, tum priuati. — — congregari facile est, sed* in Spiritu S. congregari non possunt, nisi Apostolorum fundamentum secuti, — — nemo igitur tenetur credere decretis ecclesiae repraesentatiuae i. e. conciliis, nisi Apostolorum scripturis iudicent et loquantur — — — *et ipsimet dicunt, quod vnus homo potest toti concilio contradicere, si meliorem rationem aut scripturam habuerit. Dicunt hoc, sed mentientes, cum factis hoc ipsum fortiter negent et damnent.* Conciliorum ergo omnium, Oecumenicorum quoque nulla est auctoritas, nisi quatenus concordant eorum decreta cum sacris litteris, atque hae igitur, minime vero humana illa decreta, quid credendum sit, constituunt. Alias enim cuncta scripta humana, *quatenus* cum sacris libris conueniunt, eandem haberent auctoritatem. Si repugnant diuinis oraculis, licet Imperatores et episcopi omnes auctoritate, armis, exsecrationibus muniant ea et defendant, contemnuntur merito, et ceu Christiana sanctitate indignissima exploduntur. Conciliorum igitur auctoritate, Symbolis, Canonibus, Decretis nulla veritati additur sanctitas, nulla firmitas detrahitur. Haec, quae generatim dicta sunt, propius ad rem propositam referamus.

x) in disput. de potestate concilii 1536. habita. Thes. 12. 18. 24. 26. 27.

LIBRI SECVNDI

CAP. III.

Concilivm oecvmenicvm, de ceteris enim, quorum ipſi non admittunt auctoritatem, nulla eſt controuerſia, ante ſaeculum quartum habitum eſſe negant. Inquiramus igitur, *quaenam fuerit illo ſaeculo*, quo oecumenica concilia coacta ſunt, *rerum ſacrarum facies:* an ea fuerit, vt exemplaris inſtar eſſe poſſit, ad quod ſe accommodent conſequentium aetatum homines omnes. Digniſſimi fide auctores Chriſtianorum ciuitatem iſto aeuo, quod res externas attinet, amplitudinem, ſplendorem, libertatem laeta cepiſſe incrementa, et poſt iniqua fata caput fluctibus quaſi egreſſam ſuſtuliſſe referunt. Ex publico enim constantini ad Chriſtianorum caſtra tranſitu non exigui in illorum res redundarunt fructus. Vt vero internus eccleſiae ſtatus nunquam fuit pulchrior, quam ſub vexationibus, ita in felicitate ſub Conſtantino externa intus ſordere, et ſi integritatem, puritatem, concordiam, in doctrina, vita, caerimoniis, cultu ſpectes, ab antiqua forma aberrare coepit. *a)* Nec certum eſt, quid *de Conſtantini ad Chriſtianorum ſocie-*

a) Veniunt nobis in mentem, quae legimus apud evsebivm in Hiſt. Eccl. L. VIII. c. I. et in semleri hiſt. eccl. T. I. p. 125. Aſt rem eandem infra attingemus.

societatem transitu, eiusque fide virtutibusque ac vitiis statuendum sit. Fuit, *b*) qui Constantinum nunquam fuisse vere Christianum, ex eo colligeret, quod in huius imperatoris, quae adhuc supersunt, monumentis ac statuis nullum omnino visae ante victum Maxentium in caelo crucis vestigium, nec vllum Christianae religionis signum extet. *c*) Auctores, qui Constantinum crucem illam vidisse commemorant, quo loco viderit, haud conueniunt. Hi in Galliis, et quidem Augustoduni, illi in Byzantina ciuitate, alii LACTANTII auctoritatem secuti in castris vidisse dicunt, dum obsideret Romam Maxentium tyrannum debellaturus. Nos equidem mirari solemus, qui factum sit, vt crucem non viderit exercitus, neque amici Imperatoris se videre adfirmarint, antequam mirabilem hanc rem ex ipso audiuissent: qui factum sit, vt in exercitu, si hic prodigium vidisse credendus sit, nullus exortus tumultus sit. Scrupulum etiam mouet narratio de cruce a CONSTANTINO visa. *d*) ZOSIMVS

 e) ad

b) BLAINVILLE in Itinerarii P. II. p. 535. Lemgouiae 1765. edit.

c) Quam rationem nos equidem non probamus. Quot antiqua monumenta temporis iniuria interierunt? Conf. EVSEBII Hist. Eccl. L. IX. c. IX. p. 359. sec. edit. Valesii.

d) Conf. PHILOSTORGIVS L. III. §. 26. p. 57. Edit. Gen. 1643. et Gothofredi diss. p. 187. et seq.

e) ad Christianorum partes transiisse tradit, quoniam a flaminibus lustratione postulata, hisque respondentibus, non esse traditum lustrationis modum, qui foeda adeo Constantini scelera eluere posset, quod confirmat etiam SOZOMENVS *f*), ab Aegyptio quodam Hispano genere audiuerit, sententiam doctrinae Christianorum habere vim abolendi quodcumque peccatum. Ex his quisque facile intelliget, quid de Constantini fide habendum sit. Quod si nobis hac de re iudicium ferre fas est, similis esse videtur Constantinus Chlodouaeo, de quo vide MOSHEMIVM, *g*) vt itaque iis non contradicamus, qui cum STRVVIO *h*), ARNOLDO *i*) aliisque Constantinum simulatorem fuisse statuunt. *k*) Vt hoc vno vtamur, infra enim hunc locum iterum attingemus, oratio, quam in Concilio Nicaeno habuit, satis declarat, eum aut superstitiosum fuisse, aut simulatorem. Ad episcopos, qui libellos tradiderant: *l*) *DEVS vos*, inquit, *constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque*

e) L. II. p. 104. Edit. Oxonii 1679.

f) L. I. c. 5.

g) l. c. Saec. V. P. I. c. I. §. 5. p. 175.

h) In diss. de Constantino M. ex rationibus politicis Christiano. Ienae 1713.

i) Kirchen- und Ketzerhistorie. T. I. L. IV. c. II. §. 3.

k) Conf. Allgemeine Weltgeschichte T. XIV. p. 37 - 42.

l) RVFFIN. Lib. I. c. 2.

quoque iudicandi, et ideo nos a vobis recte iudicamur. Vos autem non poteſtis a quopiam iudicari. *Propter quod DEI ſolius inter vos exſpectate iudicium, et veſtra iurgia quaecumque ſunt, ad illud diuinum referuentur examen.* Vos etenim nobis a Deo dati eſtis dii, *et conueniens non eſt, vt homo iudicet deos.* Addidiſſe THEODORETVS ait: *ſe, ſi forte oculis conſpexiſſet ſuis epiſcopum alienum thorum labefactantem, obtecturum paludamento ſceleratum facinus, ne cui forte cernentium illud viſum noceret.* Ex quibus quisque efficiat, quid poſſit et velit. Quod ſi vero etiam dubium nullum eſſet, quin Chriſtianae doctrinae ex animo aſſenſerit, de pietate eius tamen veraque religione longe ampliori iure dubitamus. Tot enim tantaque habemus antiquorum de eius vitiis teſtimonia, vt taceri aut excuſari bona fide nequeant. Vnanimis eſt auctorum in commemoranda eius crudelitate conſenſus. Incredibiliter durum fuiſſe in exigendis vectigalibus, vt corporibus eorum, qui propter paupertatem extremum damnum ſuſtinere non poſſint, flagra, tormentaque adhibita ſint, refert ZOSIMVS. m) EVTROPIVS vero: n). *Licinio bellum*, inquit, *intulit; quamuis neceſſitudo et affinitas cum eo eſſet — — poſtremo Licinius nauali et terreſtri praelio victus apud Nicomediam ſe dedidit*, et contra religio-

m) l. c. p. 115.
n) Brev. Hiſt. Rom. L. X. c. 4.

ligionem ſacramenti *Theſſalonicae priuatus occiſus eſt — — verum inſolentia rerum ſecundarum aliquantum Conſtantinum ex illa fauorabili animi docilitate mutauit. Primum neceſſitudines perſecutus, Criſpum filium, egregium virum, et ſororis filium, commodae indolis iuuenem interfecit, mox vxorem, poſt numeroſos amicos. Vir primo imperii tempore optimis principibus, vltimo mediis comparandus.* Quod iudicium confirmant praeter Zoſimum Hieronymus, Suidas, Oroſius, Socrates, Sozomenus, Philoſtorgius, Ammianus aliique. Crudelitatis imperatorem arguunt etiam ob interfectum Sopatrum, cuius interitum cum illo Socratis conferre non dubitant. *o)* Quam ſuſpicionem augent, quae de regibus, multisque captiuis aliis immanibus beſtiis obiectis narrantur. *p)* Sit ergo iudicium penes candidum humanarum rerum aeſtimatorem, iurene an iniuria SIDONIO APOLLINARI teſte, *Conſtantini tempora illis Neronis ſimilia eſſe* dixerit Conſul Ablauius. Aliorum etiam vitiorum accuſatus eſt: datae fidei fuiſſe immemorem, et voluptati deditum, et prodigum. *q)* Fuit etiam ſuperſtitioſus. Quum eſſet lepra infectus, magos incantatoresque ad

o) Conf. EVNAPIVS in vita Aedeſii. Col. Allobr. 1616. p. 34-40. quem ſecutus eſſe videtur ZOSIMVS Lib. II.

p) Allgem. Welthiſt. T. XIV. p. 21. §. 19. et p. 53. §. 55.

q) ZOSIMVS l. c. p. 89. 108.

ad hanc curandam adhibuit, qui teſte NICEPHORO r) morbum adauxerunt. Graecorum, id eſt, vt loquitur NICEPHORVS, hominum a vera fide alieniſſimorum, vel ſecundum ZONARAM Capitolini Iouis ſacerdotum, vel quod placet CEDRENO, Iudaeorum conſilio voluit ſe lauare in piſcina innocentium puerorum ſanguine eoque recenti adhuc et vaporante repleta, nec aliter quam lugentium plorantiumque filios ſuos muliercularum adſpectu ab hoc conſilio dimotus eſt. Qui vero factum ſit, vt nihilo ſecius ſûmmis laudibus extulerint Conſtantinum, is ſane intelliget, qui didicit, quantam vim in animos hominum habeant largitiones. Sacrorum enim miniſtros, cultores laudis ſuae ac praecones immenſis beneficiis cumulauit. CVNAEVS in praefatione ad Iuliani Caeſares *Conſtantini virtutes plus quam humanae vtique celebrantur, et vtramque paginam faciunt. Fecit ille quidem multa, quae boni principis famam deturpent. Nam et imperii opes in luxum abſumſit, et auri luſtralis exactione crudeliter attriuit populum; verum haec* Graeci, quibus animus ſpei ac gratiae obnoxius erat, cernere aut non poterant, aut nolebant. *Itaque animus in verba ambitioſûs, oblitus legis preſſiorisque iudicii poſt tot accepta beneficia, nihil iam niſi maximas illius laudes magna mercede meditabatur.* Quanta etiam fuerit laudatorum

r) Niceph. Call. H. E. L. VII. c. 33.

torum religio, siue vt rectius dicamus, superstitio, exemplo suo comprobat ZONARAS, s) qui: *memoratur autem*, inquit, *inclytus hic imperator pecuniam et citra delectum insumsisse, et minori cum delectu comparasse, ita vt eius in largiendo studium magnificentiae non tribuatur, sed* contra verum temperandum est calamo, ne quam diuino illi viro *labem adspergam.* Neque libros *de Vita Constantini*, qui vulgo tribuuntur EVSEBIO, fide dignos esse, vel SOCRATES vidit, t) cuius iudicio auctor librorum Imperatoris laudes et panegyricam orationem contexere magis in animo habuit, quam res gestas accurate commemorare. Veriorem illius imaginem expressam habes apud NATALEM ALEXANDRVM. v) *Irrisor potius fuit, quam blandus: Traianum herbam parietariam ob titulos multos aedibus inscriptos appellare solitus erat. Vulgari prouerbio, Trachala, decem annis praestantissimus, duodecim sequentibus latro, decem nouissimis pupillus ob profusiones immodicas nuninatus. Hunc in Constantini principatu tamquam in pulcherrimo quodam vultu naeuum notauit Eusebius, quod pessimos ac rapaces homines* ad

s) L. XIII. c. 4. T. II. edit. Paris. 1687. p. 10.

t) H. E. L. I.

v) H. E. Saec. IV. cap. vlt. p. 179. vel potius in excerptis ex libris SEXTI AVRELII VICTORIS de vita et moribus Imperatorum. In Hist. Rom. Script. a SYLBVRGIO Francof. MDCXXXVIII edit. T. I. p. 543.

ad amicitiam ſuam, et ad publica officia adſciuiſſet: et quod fraude et calliditate quorundam hypocritarum fuiſſet ſaepiſſime circumuentus. Quae ergo Conſtantini religio fuit? quae eius poteſt eſſe in rebus ſacris inſtituendis, praecipiendis, mutandis apud prudentiores homines auctoritas? WEISMANNVS equidem x): *Annon Conſtantinus ipſe perſecutionem, vel aliquam ſaltem illius ſpeciem mouerit in orthodoxos? problema eſt hiſtoricum. — — — Id vero exploratum eſt, hunc imperatorem eccleſiam Chriſtianam magis perſecutum eſſe ſuis beneficiis, quam afflictionibus, cunctis probantibus veritatem dicti illius coeleſtis, quod ſecundum acta Sylueſtri fabuloſiſſima deſuper tunc ſonuit:* Hodie venenum effuſum eſt in eccleſiam. Pro inconſtanti, quo erat, ingenio nunc cum profanis fecit, nunc cum Chriſtianis, modo Catholicorum, modo haereticorum amantior. Quare hominum multi fuerunt, qui, vt imperatoris gratiam conſequerentur, domini exemplum imitati religionem ſimularent, ſpeque aut metu ducti nunc huic diſciplinae, nunc ſe illi addicerent. Incredibilia damna rebus ſacris attulit Conſtantinus. Quum enim profanorum ſacerdotum dignitatem et reditus in epiſcopos contulerat, factum eſt, vt opulentiam, potentiam, honores, ſplendidam auctoritatem ſectarentur, turpiſſimisque ſe libidinibus traderent. Ex quo noua enata mala ſunt. Qui in

x) in hiſt. eccl. Saec. IV. §. 47. p. 343.

in ſacerdotum locum venerant ſacrorum miniſtri multos ritus, e quibus deinde ortum traxerunt opiniones, ex paganorum fanis in ſua templa transtulerunt, ſeminaque Papiſmi ſparſerunt. Videmus, quamquam concilium Eliberitanum Anno CCCIV praeſente Hoſio Cordubenſi celebratum in coemeterio cereos profanorum more accendere, et in eccleſia imagines pingi vetuit, cereos et luminaria in funeribus, aromata inter preces et ſacramenta incenſa, religioſam abſtinentiam certi ciborum generis, coelibatus admirationem, peregrinationes ad templum Hieroſolymitanum, et martyrum ſepulchra, et ex horum nimia veneratione ortam ſanctorum inuocationem, orationes etiam pro mortuis, ſacramentorum abuſum, mortuos ſacro lauacro imbutos, his etiam et infantibus ſacrum panem praebentes miniſtros. Adferebantur ad baptiſmum lumina accenſa, baptizandi corpus vngebatur, baptizati ori ſal iniiciebatur, ſacer panis domum aſportari, et viatici loco dari coepit, immo tamquam medicina contra morbos adhibebatur. Quare AVGVSTINVS de ſaeculo quinto ſcripſit: *omnia itaque talia, quae neque ſanctarum ſcripturarum auctoribus continentur, nec in conciliis epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſae eccleſiae roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variant, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri poſſint cauſſae, quas in iis inſtituendis*

ho-

homines ſecuti ſunt; vbi facultas tribuitur, ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamuis enim neque hoc inueniri poſſit, quomodo contra fidem ſint: ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis et manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſeruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior ſit conditio Iudaeorum, qui etiam, ſi tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis praeſumtionibus ſubiiciantur. — — — Quae de veſtigiis Ieſu monti olìueti impreſſis, cruceque Helenae beneficio tum reperta narrantur, aeui iſtius ſenſum aperte ſatis prodere videntur. *y*) Quo animo fuerint in homines alienas a ſuis ſententias ſecutos promulgatae aduerſus haereticos conſtitutiones declarant. — — *Nullus haereticis myſteriorum locus, nulla ad exercendi animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiamſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum eſt, non valere. Arceantur cunctorum haereticorum ab illicitis congregationibus turbae.* Haec quidem ſanxit THEODOSIVS M. A.D. CCCLXXXI. *z*) et Anno CCCLXXXIII. *Vitiorum inſtitutio, Deo atque hominibus exoſa, Eunomiana ſcilicet, Ariana, Macedoniana, Apollinariana, caeterarumque ſectarum*, quas verae religionis venerabili cultu catholicae ob-

y) SVLPICIVS SEVERVS in Hiſt. L. II. c. 33. 34.
z) Conf. Codex Theod. T. VI. p. 117.

obſeruantiae fides ſincera condemnat, *neque publicis, neque priuatis aditionibus intra vrbium atque agrorum ac villarum loca, aut colligendarum congregationum, aut conſtituendarum eccesiarum copiam praeſumat, nec celebritatem perfidiae ſuae, vel ſollemnitatem dirae communionis exerceat: neque vllas creandorum ſacerdotum vſurpet atque habeat ordinationes. a)* Quantum vero ab antiqua diſciplina, et liberali pacis ſtudio, ſine quo Chriſtiana religio nulla eſt, abhorruerint ſua aetate ſacrorum miniſtri, et EVSEBIVS narrat loco ſupra citato *b)* et SVLPICIVS SEVERVS. Hic: *c)* — — *inter noſtros perpetuum*, inquit, *diſcordiarum bellum exarſerat: quod iam per quindecim annos foedis diſſenſionibus agitatum nullo modo ſopiri poterat. Et nunc cum maxime diſcordiis epiſcoporum turbari, aut miſeri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconſtantia, inuidia, factione, libidine, auaritia, arrogantia, deſidia eſſent deprauata: poſtremo plures aduerſum paucos bene conſulentes inſanis conſiliis, et pertinacibus ſtudiis certabant: inter haec plebs Dei, et optimus quisque probro atque ludibrio habebatur* — — Quidquid igitur THEODOSIVS de his, qui ſuper religione contendunt, edixit, haud magnam habuiſſe vim videtur — — —

Neque,

a) ibidem p. 127. pluraque huius generis ſunt edicta.
b) Hiſt. Eccl. L. VIII. c. I.
c) L. II. c. 51.

Neque, ſi ego quid video, illata illo aeuo profanis iniuria excuſari poteſt. MOSHEMIVS equidem *d)* antiquiorum auctorum multos credo ſecutus, ex eo, quod ſuperſtitionibus bellum indixit Conſtantinus, colligit, tum demum imperatorem animum vere Chriſtianum ſumſiſſe: vt ego vero illius religionem exploratam adeo non habendam eſſe arbitror, ita perſuadere mihi nequeo, Chriſtiani regis eſſe, exſcindere templa profanorum, ſacraque eorum vi et armis omnino tollere. Praecepta ex hoc genere fuerunt quidem ſub veteri teſtamento, quorum vero longe alia ratio eſt. Noſtro equidem qualicumque iudicio, Chriſtiana religio — — at vera illa et integra, non *traditionaria*, nec ſectaria — — non vi, et abolendis alienis ſacris, quod ab eius auctoritate abhorret, ſed perſuaſione ſuaque ſanctitate propaganda eſt. Quod vidit vel ipſe profanus auctor LIBANIVS *e) Oportet enim iſta perſuadere, non cogere: ſi vero qui illud non potuit, iſto vtatur, nihil promouet, videturque id infirmum eſſe. Nonne vero fertur, et iſtud inter illorum ipſorum leges eſſe, vt perſuaſio quidem laudetur,* κακως δε ακουειν την αναγκην. *f)*

d) l. c. ſaec. IV. P. I. §. 7. p. 130.

e) In IACOBI GOTHOFREDI opuſculis hiſtoricis iuridicis, politicis 1634 editis extat Libanii Antiocheni pro templis gentilium non exſcindendis ad Theodoſium M. Imp. oratio p. 18.

f) Conf. ad h. l. comment. GOTHOFREDVS. p. 52.

CONSTANTINVS equidem neque hac in re ſibi conſtitit, vt difficile ſit homini veri ſtudioſo iudicium ferre. Quamquam enim aduerſus aruſpices leges tulerat: *g*) de iisdem tamen aruſpicibus conſulendis ſcripſit ad vrbis praefectum. *h*) Erat vero imperator iam per nouennium Chriſtianiſmo imbutus, et non ſolum conſulendorum aruſpicum Romanis, verum magicarum etiam artium impune exercendarum poteſtatem fecit. *i*) Patriis adeo ſacris *ου τιμης ἑνεκα μαλλον ἠ χρειας* vſum eſſe, refert ZOSIMVS. *l*) LIBANIVS vero: *m*) Conſtantinum reditus templorum et donaria iuris ſui feciſſe, atque in CPlitana vrbe aedificanda ea impendiſſe, at ſolemnia gentilitia intacta reliquiſſe. Sacrilegii illius vero *n*) ſat magnas poenas dediſſe, quod, qui de genere ipſius erant, mutuo ſeſe confecerint, ſtirpsque eius tandem omnis defecerit, cui ſatius fuiſſet, ſtirpem aliquam ſuperſtitem relinquere, quam Conſtantinopolim tot impenſis, aliarumque ciuitatum nuditate atque imprecatione excitare. Secundum THEODORETVM *o*) interdicto ſuo ſacra

g) BARON. Ann. T. III. A. C. 319. p. 198.
h) Ibidem. Ao. 321. p. 209. et A. 324. p. 213.
i) Conf. Cod. Theod. L. XVI. Tit. X. Ed. I. et comm. in illud edictum.
l) l. c. p. 103.
m) l. c. p. 9. et 43.
n) ibidem p. 22.
o) H. E. L. V. c. 20.

cra daemonum prorſus ſuſtulit, fana tamen non ſubuertit, ſed inacceſſa eſſe voluit. Cui auctori contradicit EVNAPIVS, *p*) Conſtantinum fana toto orbe celebratiſſima euertiſſe. Referunt alii auctore HIERONYMO, edicto Conſtantini A. D. CCCXXXII promulgato ſubuerſa eſſe gentilium templa. At quin ſacrificia ab eo prohibita ſint, dubium nullum eſt. *q*) De ſucceſſoribus certior eſt ſententia. CONSTANS vetuit ſacrificia: *r*) CONSTANTIVS *ſ*) de templis occludendis et prohibendis ſacrificiis edicta ſanxit. Tertio anno poſt *t*) ſimulacrorum auctoribus poenam capitis minatus eſt. THEODOSIVS *v*) ſacrificia, templorumque ad ea celebranda ingreſſum, cunctis etiam hominum ordinibus cultum gentilitium omnem prohibuit. Nec edicta

p) l. c. p. 33.

q) Conf. Cod. Theod. L. XVI. T. X. Ed. I. et II. Nec non EVSEB. de V. C. L. IV. c. 23. et 25. et VALESIVS ad h. l. Conuerſio fani, quam panegyriſtae inſtar commemorat EVSEBIVS de V. C. L. III. c 55. (de quo templo vide ZOSIMVM L. I. et SELDENVM in ſyntagmate ſecundo de diis Syris) propter perpetrata in eo horrenda facinora non omnino improbari, excuſari e contrario poteſt deſtructio templi Aeſculapii. EVSEB. l. c. c. 56.

r) Ao. 341. Cod. Theod. l. c. p. 261.

ſ) Ao. 353. Ibidem p. 263.

t) Ao. 356. Ibid. p. 266. Conf. etiam LIBANIVS l. c. p. 10. 44. 45. 23. 55. 33-36.

v) Ao. 381. Cod. Theod. l. c. p. 266. et Ao. 392. ibidem p. 273. 274.

ſolum ſanxit Theodoſius, verum templa etiam exſcidit. *x*) nec aliter ſenſiſſe ceteros huius aeui imperatores, quas tulerunt, leges demonſtrant. *y*) Quid? quod monachi in aedes ſacras impetus fecerunt, delatas vero querelas non audiuerunt epiſcopi. *z*) Quod ſi igitur iſtius aeui mores, Conſtantini ceterorumque imperatorum animum, ſacrorum immutationem, illatam et haereticis et profanis iniuriam, atque alienam propagandae religionis rationem diligenter tecum in animo conſideraueris, non difficile erit iudicare, an praeſulibus, qui mala illa excitarunt, fas fuerit Chriſtianis, quotquot dehinc futuri eſſent, omnibus leges praeſcribere? Facilius credam, Scholaſticorum aculeatum tortuoſumque diſputandi genus barbaris ſaeculis mire celebratum ſempiternas fore philoſophorum delicias, et doctores illos *Angelicos* et *Seraphicos* omnis ſapientiae auctores eſſe. Cauſſa enim humana ageretur: in diuina vero delirare, caecosque duces pertinaci ſtudio ſequi longe eſt periculoſius.

LIBRI

x) THEODORET. L. V. 21. 22. SOZOM. VII. 15.
y) Cod. Theod. p. 277. 294. ſeq.
z) LIBANIVS l. c. p. 11. 13.

LIBRI SECVNDI
CAP. IV.

VIDIMVS equidem capite ſuperiori, quis fuerit ſaeculorum, quibus oecumenica concilia habita ſunt, genius: nunc operae pretium erit, patrum, quorum decreta ſancta adeo eſſe volunt, propius intueri MORES. At qui alienum ab omni partium ſtudio animum habet, ſimul ac antiquarum rerum monumenta ſcrutatur, faſtum videt, aliaque vitia, quibus illi non tam dogmatum, quam hominum a ſolitis opinionibus ſe auellentium iudices commaculati fuerunt. *a)* Gloriolam ſibi ex vana philoſophiae, eiusque, vt erat illo ſaeculo, tenuis ac ieiunae oſtentatione arceſſentes, ad dialecticorum morem de rebus non tam ad religionem, quam ſcientiam theologicam pertinentibus ſubtilius diſputabant. Quoniam vero in acutulis concluſionibus ſuis religionis caput ſitum eſſe, perperam ſibi perſuaſerunt, factum eſt, vt, qui vocabulis recens in Theologiam inuectis vti dubitarent, tamquam profanos auerſarentur. Quem impium morem vtinam non imitati eſſent minores! Quis vero eſt, qui neſciat, vt noſtri ſaeculi iniquitatem taceamus, et CALVINVM, et LVTHERVM, et quod incredibile videri poſſet, ab homi-

 nibus

a) MOSHEMIVS l. c. Saec. IV. P. II. c. II. §. 8. p. 143.

nibus puriorum ſacrorum ſtudioſis, inuidioſo Arianorum nomine ornatos eſſe. Solebant vero non eos ſolum, qui a vocabulis illis abhorrebant, inter priuatos parietes multis incommodis afficere, verum vt res eo ſollemnius ageretur, concilia etiam, quorum auctoritatem praedicare non deſinebant, ad eos condemnandos cogere. THOMASIVS: *b*) *cum tamen*, inquit, *non e re fuerit veras cauſſas anathematum laicis manifeſtas facere, in conciliis et libellis condemnatoriis leues illae diſſenſiones metaphyſicae vel ſimiles ſub ſpecie grauium cauſſarum fuere praetextae, uti fere et reges ſaeculi in manifeſtis, quae vocant, raro cauſſas genuinas belli ſcribunt, ſed praetextus.* Quomodo ſe geſſerint in conciliis, teſtis eſto GREGORIVS NAZIANZENVS, *c*) qui ingenue fatetur, ſe fugere concilia, laetum conuentuum horum exitum non vidiſſe, et ob Φιλονεικιας et Φιλαρχιας non minui et depelli mala, ſed inſigniter augeri. Inuectus etiam eſt *d*) in epiſcoporum vitia, ex quibus omnia mala in eccleſiam deriuentur, et quidem cum concilio Conſtantinopolitano contentione exorta ſponte abiret. Quo animo fuerint patres Nicaeni, quidquid de his prae-

b) Diſſ. de Iure Princ. c. haer. §. 31.

c) Ep. LV. ad Procopium. Opp. edit. Pariſ. 1630. p. 814.

d) Vid. vitam operibus praemiſſam. Quo ingenio fuerit Gregorius, quodque ſecutus ſit conſilium, cognoſces ex RVFFINI H. E. L. II. c. 9.

praedicet EVSEBIVS, *e*) ex contentionibus intelligitur, quae inter eos de principatu, reditibus, rebusque ſimilibus fuerunt, vt oporteret etiam imperatorem ad pacem hortari. *f*) Neque ſilentio diſſimulare potuit EVSEBIVS, *g*) in ipſo concilii primordio turpi mentis feruore abreptos eſſe epiſcopos: cum multa eſſent ex vtraque parte propoſita, magnaque controuerſia in ipſo diſputationis ingreſſu concitata, imperator toleranter ac placide omnibus animum attendere, ſtudio acri prolatas ſententias ſenſim excipere, viciſſim ferre opem vtrique diſputantium parti, eos magna cum contentione digladiantes paullatim reconciliare — — — Quae vero de his moribus iudicent viri integri verique amantes, exemplis ſuis comprobant CALVINVS et PETRVS MARTYR. Ille: *h*) *quamquam*, inquit, *in illis quoque antiquis et purioribus eſt, quid iure deſideres* — — — — *quod nimio adfectu nonnunquam praecipites ferebantur. Huius poſtremi, quod omnium duriſſimum videtur, exemplum illuſtre extitit* in Nicaena ſynodo — — — — — *ipſi tantorum diſcriminum ſecuri, immo velut grauitatis, modeſtiae et omnis humanitatis omiſſo quod in manibus erat certamine* — — *inteſtinis*

e) De V. C. L. III. c. 9.
f) RVF. L. I. c. 2. SOZOM. l. 16. GELASIVS in hiſt. Conc. Nicaeni L. II. c. 8.
g) l. c. c. 13.
h) Inſtit. L. IV. c. IX. §. 10.

ſtinis diſſidiis ſeſe proſcindere coeperunt. — — — — Foedae criminationes audiebantur: libelli accuſatorii volitabant: *nec contentionum finis vllus factus eſſet, donec mutuis vulneribus ſe confodiſſent; niſi imperator Conſtantinus occurriſſet* — — — *Quam multis partibus et alia, quae deinde ſecuta ſunt, concilia lapſa fuiſſe veriſimile eſt? nec longa demonſtratione opus haec res habet. Si quis enim acta perlegat, multas illis infirmitates animaduertet: ne quid dicam grauius.* Hic vero: *i*) *vt vero adfectibus patres illi* (Nicaeni) *commoti fuerint et agitati, ſatis ex eo declaratur, quod ceu* ἀλάστορες et furiae in ſeſe mutuo inuehebantur, atque accuſationibus, libellis famoſis, et calumniis pium Imperatorem incitabant et inflammabant aduerſus collegas, *vt mirum fuerit, eum potuiſſe illorum intemperiem ferre. Conuocati erant, vt de religionis praecipuo capite agerent, et hoc omiſſo, bili et ſtomacho tantum indulgebant.* Eo quoque proceſſit eorum temeritas, vt ſe errare non poſſe venditarint, ſeque veram conſtituere eccleſiam, quam agat Spiritus S. et per quam loquatur. GREGORIVS quidem NAZIANZENVS, vt e multis teſtibus aliquot modo excitemus, in encomio S. Athanaſii *l*) patres Nicaenos *a Spiritu Sancto coactos* eſſe ait. Eandem ſententiam

i) 1 Reg. c. XII. p. 104. Tiguri 1571.

l) Vid. ATHANASII opera T. II. p. 505. et GREGORII opera p. 381. in Orat. XXI.

tentiam ſequitur GELASIVS, *m) per patres Nicaenos locutum eſſe Spiritum Sanctum:* et in compendio ſanctarum et vniuerſalium ſynodorum Gelaſii hiſtoriae praemiſſo *ſymbolum Nicaenum ſanctiſſimi ſpiritus afflatu concitati patres edidiſſe* dicuntur. Vel ipſe Conſtantinus diuinam auctoritatem decretis Nicaenis habuit. In litteris enim *n)* ad eccleſias de ſynodo Nicaena: *quae cum ita ſe habeant,* inquit, *libentibus animis hoc decretum tamquam* donum Dei, et mandatum reuera caelitus demiſſum *amplexamini. Nam quidquid in ſanctis epiſcoporum conciliis decernitur, id vniuerſum* diuinae voluntati *debet attribui. o)* Quae opinio per proximum etiam ſaeculum propagata eſt. Patres enim Epheſini, vel rectius CYRILLVS ſolus, in epiſt. ſynod. Epheſ. ad Neſtorium *p)* magnam ſynodum *per Sanctum Spiritum* in vrbe Nicaea quondam conueniſſe, eo credo conſilio adfirmauerunt, quo facilius ſuis decretis diuinam auctoritatem conciliarent. *Itaque* Dominus noſter IESVS CHRISTVS, inquit EVAGRIVS, *q) contra quem blaſphemias loqui non dubitauit Neſtorius*, per iſtud ſanctum concilium decidit ſtatuitque, *eum et epiſcopatus dignitate abdicandum, et ab omni*

 con-

m) l. c. L. II. c. 12. p. 22.
n) Euſeb. de V. C. L. III. c. 18.
o) Adde, quae leguntur apud Ruff. l. 2. 5. Gelaſ. L. II. c. 8. p. 20. c. 27. p. 39.
p) apud Gelaſium in actis ſyn. Epheſ. p. 105.
q) L. l. c. 4.

conuentu ſacerdotum penitus excludendum eſſe. Quorum temerariis opinionibus grauem opponimus, maximeque rationi litterisque ſacris conſentaneam LVTHERI ſententiam *r)*: *Superbe et falſo,* ne dicam blaſpheme, *iactant, ſeſe in Spiritu S. legitime congregatos eſſe. Quis eos aut nos certos facit, quod Spiritus S. ad eorum Congregationem neceſſario ſit alligatus?* Quam quidem falſam auctoritatem ſibi vltro ſumſiſſe epiſcopos, non temere diximus. Vnde enim ſciuit Conſtantinus hanc rem mirabilem, niſi ipſi eam perſuaſiſſent epiſcopi. Quod ſi Conſtantinus aut ſuperſtitione, aut quod credibilius eſt, adulandi cauſſa, et politicis rationibus ductus honorem iſtum ſacrorum adminiſtris tribuit: quin hoc tamen illis haud diſplicuerit, neque laudes declinarint, dubium nullum eſt. At ipſos de ſe perperam diuinum afflatum praedicaſſe, quo maior ſit decretorum ſuorum auctoritas, vel ex eo elucet, quod haec ſententia per theologos ipſos ad poſteros propagata eſt. — — Quae tibi de Cyrillo mens eſt? cum in concilio Epheſino, Ioanne Antiocheno et epiſcopis eius dioeceſis abſentibus, re tumultuoſe geſta factionis ſuae iudicio et ſuffragiis Neſtorium condemnaſſet, hunc vero, qui ſuperuenerant, orientales epiſcopi re tota denuo cognita abſoluiſſent, Imperatoris animum lar-

r) In diſputatione de poteſtate Concilii 1536. habita. Th. 15. 16.

largitionibus corrupit s), eoque effecit, vt Neſtorius a munere remotus maneret, doctrina eius ex eccleſia proſcriberetur, amici in exilium pellerentur. O egregios illos viros, quorum veſtigia premere laudabile, quorum opiniones pleno certe impuris adfectibus animo prolatas, defenſas, ac legum inſtar ſancitas in dubium vocare improbum putant! Non poſſumus, quin eorum miremur arrogantiam et auerſemur, qua ſibi ius, quod DEVS verbi ſui miniſtris nunquam dedit, fratres condemnandi, de illorumque libertate, fortunis, vita etiam ſententiam ferendi vindicant. *Haec concilia*, inquit MOSHEMIVS, t) *quorum nullum ante ſaeculi huius* (ſecundi) *medium veſtigium vnquam apparet, totam ferme formam eccleſiae mutabant. Nam per ea primum antiquis populi Chriſtiani iuribus plurimum detrahebatur: epiſcoporum autem auctoritati ac dignitati haud parum accedebat: qui quum primum non diffiterentur, ſe eccleſiarum ſuarum legatos eſſe, verbisque populi agere, paullatim maiora ſibi arrogabant, et poteſtatem ſibi a Chriſto datam eſſe perhibebant, populo Chriſtiano leges fidei, vitaeque dictandi.*

Deinde

s) Vt loquitur SALIGIVS in Eutychianiſmo ante Eutychem p. 257. quod ſcilicet de Eunuchis et cubiculariis, quibus magnopere fidebat Imperator, et qui ipſi quiduis perſuadere poterant, intelligendum eſſe docet IABLONSKI hiſt. eccl. Saec. V. c. 3. §. 6. p. 150. Edit. prim.

t) l. c. ſaec. II. P. II. c. II. §. 3.

Deinde quae primis temporibus obtinebat, ſumma epiſcoporum omnium paritas et aequalitas per haec concilia ſenſim tollebatur. Neceſſe enim erat, vt vni ex epiſcopis prouinciae, qui foedere iuncti erant, poteſtatis et iuris aliquid ſupra ceteros in conuentibus iſtis tribueretur: ex quo iura metropolitanorum nata ſunt. Poſtremo quum mos habendorum conciliorum per vniuerſum orbem Chriſtianum peruaſiſſet, et vniuerſa eccleſia ingentis reipublicae ex multis minoribus compoſitae formam adepta eſſet, certa ei capita in ſingulis terrarum orbis partibus praeficienda erant, quae totam molem quodammodo continerent. Hinc Patriarchae, et ad extremum Patriarcharum princeps, epiſcopus Romanus. Ne ſummus quidem generis humani doctor, quamquam ſumma vi ac auctoritate pollebat, ab erroribus repetit poenas, quibus inhumana ſaepius ferocitate in eos, qui a vulgaribus opinionibus recedunt, neque ſemper errant, animaduertunt epiſcopi. Quis dedit verbi diuini miniſtris poteſtatem faciendi iudicia? Conſtantinus equidem clericis permiſit, quando eſſent in ius vocati, vt ad epiſcoporum iudicia prouocarent, horumque ſententiam ratam eſſe, et aliorum iudicum ſententiis plus habere auctoritatis, tamquam ab ipſo imperatore prolatam ſtatuit, *v*) ex quo magnum ſacerdotum in occidente imperium idque a Chriſtiana religione alienum originem traxit, quod Germaniae, Galliae totiusque Eu-

v) SOZOM. l. q.

Europae populi, poſtquam ſeſe etiam Chriſto ſubiecerant, antiquos mores ſecuti, magnam ſacerdotum in aeſtimandis litibus, coercendis ſceleſtis hominibus, conſtituendis poenis, ac regenda adeo republica auctoritatem eſſe voluerunt: *x*) quae vero cum ſacris litteris et doctrina Chriſtiana conciliari nequeunt. *Οἰδατε ὁτι οἱ ἀρχοντες των ἐθνων κατακυριευουσιν αὐτων, και οἱ μεγαλοι κατεξουσιαζουσιν αὐτων οὐκ οὑτως ἐςαι ἐν ὑμιν ἀλλ᾽, ὁς ἐαν θελῃ ἐν ὑμιν μεγας γενεσθαι, ἐςω ὑμων διακονος. y) Ποιμανατε το ἐν ὑμιν ποιμνιον του θεου, ἐπισκοπουντες μη ἀναγκαςως, ἀλλ᾽ ἑκουσιως· μηδε αἰσχροκερδως, ἀλλα προθυμως. z)* Docendi, conſolandi, hortandi, DEI etiam comminationes, non ſuas, interpretandi poteſtas ſacrorum miniſtris data eſt, non iudicandi, DEO propria. Neque excuſari poteſt, in conciliis partem litigantem ſimul iudicis perſonam egiſſe. Ad Nicaeni ſententiam atque auctoritatem Ariani minime omnium prouocarunt. Si quid vero videmus, is modo legitimus controuerſiarum arbiter conſtituitur, cuius ſententiae ſe vtraque pars ſaluo iure ſuo ſubmittere poſſit. Non aliter ergo patres illi cauſſam egerunt, ac pontifex Romanus,

x) Quae quidem docet MOSHEMIVS. l. c. Saec. VIII. P. II. c. II. §. 2. not. t.

y) Matth. XX. 25. 26. Marc, X. 42. Luc. XXII. 25.

z) 1 Petr. V. 2. 3. Conſentit AVGVSTANA CONFESSIO. Conf. Art. de poteſtate eccleſiaſtica, et MELANCHTHONIS apologia.

nus, qui omnes de religione controuerſias ad ſe pertinere dicit, et in propria cauſa ſententiam fert. Sunt quidem, qui id aliter fieri non poſſe doceant, quam vt in lite alteri parti adhaereant iudices, ſiquidem etiam Apoſtoli in ſynodo Hieroſolymitana de circumciſione id conſtituerint, quod ante habitam ſynodum verum rectumque eſſe crediderint. Quibus reſpondemus, Apoſtolos fuiſſe θεοπνευςους, et miraculorum edendorum poteſtate praeditos, neutrum vero cadere in patres ad concilia coactos. Nos potius ex eo colligimus, mortalium neminem in rebus ad fidem pertinentibus alterius iudicem eſſe poſſe, propterea quod ius non habet alterum ad aſſumendam ſententiam ſuam obligandi. Vtrum vero patrum Nicaenorum plurimi ab Arii ſententia non multum, ſaltem non magis quam ab illa Alexandri abhorruerint, an rationes ciuiles, ex parte etiam priuatae fuerint, quae ſuaderent Arii condemnationem, nos nunc inquirere nolumus. Quod proximorum temporum controuerſias, hasque dirimendi ius attinet, fas eſto adhibere inſtrumentum pacis: *Sancitum, vt in cauſſis religionis, omnibusque aliis negotiis, vbi ſtatus tamquam vnum corpus conſiderari nequeant, Catholicis et Auguſtanae Confeſſionis ſtatibus in diuerſas partes euntibus ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate.*

LIBRI SECVNDI

CAPVT V.

Vt nulla eſt ratio, ob quam clericis poſſit competere ius dominandi; ita id etiam, quod in iudicium vocant, hominum iudicio ſubiiciendam non eſt. Qui enim in conciliis aſſidebant; non ſceleſtos damnarunt, ſed HAERETICOS. Haereſis quidem poteſt nonnunquam eſſe peccatum, interdum etiam crimen: aſt non omnis haereſis peccatum, multo minus crimen eſt. In conciliis vero non curarunt, quam male egerint haeretici, ſed quam male, pro iudicum ſcilicet ſententia, ſenſerint. De opinionibus itaque cauſſae, vt fit in foro, perorabantur, quod quidem ſanae rationi quam maxime repugnat, et propterea etiam alienum eſt, quod acerrimi haereticorum inſectatores, quid haereſis ſit, neſciunt ipſi. *De haereſi ſcripturo*, inquit Immortalis IABLONSKI, *a*) *in mentem venit illud* AVGVSTINI in praef. ad libr. de haer. Quid ergo faciat haereticum regulari quadam definitione comprehendi, ſicut ego exiſtimo, aut omnino non poteſt, aut difficilime poteſt. *Quod Auguſtini aeuo iam incertum erat, noſtro, quod viuimus, aeuo clarius certiusque factum non eſt. Pro diuerſa enim, cui quis addictus eſt, haereſi, diuerſimode haereticum deſcribere ſolet, ita vt multi hodiedum ingenue cum Auguſtino*

a) In diſſ. de ſenſu vocis αἱρέσεως in S. Litteris §. 1.

ſtino fateantur, *ſe*, *quid ſit haereſis*, *vel haereticus*, *ignorare.* — — — *Haeretici ſunt* ſenſu S. Scripturae *illi Chriſtiani et amoris et veritatis hoſtes*, *qui vel ipſi ſunt* auctores factionum, et diuiſionum in eccleſia faces et tubae; *vel qui hominibus factioſis adhaerent*, *cum iis factiones alunt*, nihilque rectum autumant, niſi quod ipſorum placitis et moribus conueniat, *notantes eos*, *immo odio proſequentes*, *qui ipſos non ſequuntur*, *eos reiicientes*, *et nomen ipſorum tamquam malum abiicientes.* *b)* Hem! haereſeos notam ſibi inurent ipſi, qui alios haereſeos accuſare amant. Haereſis id denotabit, quod hodie haereſi aduerſum et contrarium eſt, quod liceat *haeretificium* appellare; vel ſi pro errore ſumitur, denotat errorem ducentem per ſe ad facienda opera carnis. *c)* Nec a vero abludere videtur THOMASIVS, ſtrenuus ille praeconceptarum opinionum caſtigator, qui, ſi nempe, vt eius verbis vtamur, magis ad rem ipſam, quam ad canones reſpicitur, haereſin nihil aliud eſſe ſtatuit, quam *diſſenſum*, *etiam leviſſimum eorum*, *qui vnius ſectae inter Chriſtianos ſunt*, a iudicio cleri, et libris ſymbolicis ab ipſo, vt ſint norma fidei aliorum, confectis, *et ſic haereſin eſſe diſſenſum quemcumque a religione*

b) Ibidem §. XI. Conf. etiam I. I. BREITHAVPTI obſeruationes de haereſi iuxta S. Scripturae ſenſum. Halae 1697.

c) Eſt THOMASII ſententia l. c. §. 3.

gione dominante. d) Quam ſententiam ſi ſequeris, et cur non ſequereris, vides originem Conciliorum, quae coacta ſunt, vt in Clericorum diſſenſu intelligatur, quaenam dominetur opinio, quae pars altera ſuperior ſit. Poteſt definitio THOMASII vel ex Chriſtianorum Imperatorum edictis comprobari. THEODOSIVS enim Eureſium pro haeretico habendum edixit, *quoniam haeretici ſint, qui vel leui argumento a iudicio catholicae religionis et tramite detecti fuerint deuiare. e)* Non fuerunt vero iniqui modo conciliorum aſſeſſores, vt ſibi, quamuis ſe eſſe homines ſcirent, hominum animis imperandi ius arrogarint, impurioribusque animis, quam vt huic cauſſae, ſi iuſta fuiſſet, alio quam peſſimo exemplo praeeſſe potuerint: ſed *indocti* adeo etiam, vt rei feliciter expediendae impares fuerint. Sabino Macedoniano patres Nicaenos ignorantiae accuſanti reſpondet SOCRATES, *f) imprudentem eſſe Sabinum, qui non cogitet*, etiamſi idiotae fuiſſent ſynodi huius patres, *cum tamen a Deo et gratia Spiritus Sancti fuerint illuminati, haud quaquam a ſcopo veritatis aberrare potuiſſe.* Aſt ex iis, quae ſupra diſputauimus, facile quisque intelliget, quam inanis iſta reſponſio ſit. Vt nulla lege hoc aeuo cautum erat, ne quis

 rudis

d) l. c. §. 19. et §. 35.
e) Vid. Cod. Theod. XVI. Tit. V. Ed. 28. p. 144. et paratitlon. p. 105. §. 2.
f) l. c. l. 8. 9.

rudis et indoctus sacris admoueretur muneribus: ita etiam certis testimoniis constat, plerosque tam antistites, quam presbyteros omni plane scientia et doctrina vacuos fuisse. g) Quod eo etiam comprobari posse videtur, quod sacra dogmata non satis caste et simpliciter proposuerunt, verum vltra terminos diuinae patefactionis studio parum laudabili interdum produxerunt, nimisque ac subtiliter dissecata non tam sacrarum litterarum, quam hominum auctoritatibus, et argumentationibus dialecticis probarint. *h*) Temere ergo pro concesso et probato sumunt, concilium non haberi, in quo non assideant viri litterarum peritissimi: non enim de eo, quod fieri debet, sed quod factum est, disputatur. Quae quaestio non ex conclusionibus dialecticis ac ex rei notione petitis, verum narrationibus plenorum fidei auctorum resoluenda est. Legant vero, si velint CONSTANTINI epistolas ad ecclesias, quas ipsi aut Alexander suggessit, aut Nicaenorum patrum alius, et illam ALEXANDRI, *i*) et acutas responsiones, quas philosopho dedit venerabile concilium. *l*) In quo quidem fuit EVSEBIVS CAESARIENSIS, vir citra dubium doctus, sed non ita doctus

Theo-

g) MOSHEMIVS l. c. Saec. IV. P. II. c. I. §. 5.
h) Idem l. c. Saec. V. P. II. c. III. §. 6.
i) SOCRAT. I. 9. THEODORET. l. 5. 6. 15.
l) GELASIVS. l. c. p. 22. 25. 27 · 37.

Theologiam, vt philoſophorum argumenta refutare potuiſſet. Sacrarum enim litterarum leuiter peritum fuiſſe, negari non poteſt. *m*) Neſcio igitur vtrum fas fuerit SO-

m) Vir conſeruandae Euſebii famae ſtudioſiſſimus, VALESIVS bona fide praemiſit Euſebii hiſtoriae eccleſiaſticae teſtimonia veterum, eaque pro Euſebio, in quibus ſunt, quae iudicium noſtrum confirmant. *In libro quaeſt. V et N. T., qui inter* AVGVSTINI *opera editus eſt* :Meminimus in quodam libello Euſebii quondam egregii in reliquis viri legiſſe, quia *nec Spiritus Sanctus ſciat myſterium natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti*, et admiror, tantae doctrinae virum hanc maculam Spiritui Sancto inflixiſſe. HIERONYMVS *in lib. V. comm. in Eſaiam:* Euſebius Caeſarienſis, inquit, hiſtoricam interpretationem titulo repromittens diuerſis ſenſibus euagatur. Cuius cum libros legerem, aliud multo reperi, quam indice promittebat. Vbicumque enim hiſtoria defecerit, tranſit ad allegoriam, et ita ſeparata conſociat, vt mirer eum noua ſermonis fabrica in vnum corpus lapidem ferrumque coniungere. PHOTIVS L. I. c. 2. *Philoſt. hiſt. eccl. in epit. contr.* Philoſtorgium ait adfirmaſſe, Euſebium in iis, quae ad religionem pertinent, lapſum eſſe, quia exiſtimauerit ἀγνωστον το θειον και ἀκαταληπτον; in alios etiam huiusmodi errores eum incidiſſe. (Quae contra Philoſtorgii iudicium moneri poſſint, Vid. in GOTHOFREDI *diſſ. in Philoſtorgium*) ATHANASIVS *in libro de Synodis Arimini et Seleuciae habitis* Opp. ex offic. Commeliniana. 1600. edit. T. I. p. 683. Euſebius quoque ex Caeſarea Palaeſtinae ſcribens, inquit, ad Euphrationem, non veritus eſt, palam dicere, ὅτι ὁ χριστος ουκ ἐστιν ἀληθινος θεος. (quamquam p. 402, 679. 721. Euſebium receſſiſſe ſcri-

CRATI, Sabino, qui *n)* Nicaenos doctores *rudes et ignaros* appellarat, EVSEBII auctoritatem opponere, cum ex eodem SOCRATE discimus, *o)* qua mente EVSEBIVS iis, quae in Synodo decreta erant, suffragatus sit. Eusebium vero *Arianum* fuisse, existimarunt antiquissimi fideque dignissimi scriptores. HIERONYMVS in Apologetico aduersus Rufinum: *Eusebius Caesariensis episcopus — multis testimoniis approbauit, Origenem iuxta se* CATHOLICVM, *id est, iuxta nos* ARIANVM *esse. In Libro II. adv. Rufinum: vir doctissimus* EVSEBIVS (doctissimum dixi, *non catholicum*, ne more solito mihi et in hoc calumniam struas) *per sex volumina nihil aliud agit, nisi originem suae ostendat fidei, id est* ARIANAE PERFIDIAE. In eo-

bat ab Arii parte, Synodique Nicaenae decretis subscripsisse.) — — ANTIPATER Bostrorum episcopus *in libro primo aduersus Eusebii Apol pro Origene*: nego tamen, inquit, eum ad exactum eccl. dogmatum cognitionem peruenisse. Quocirca promiscue quidem doctrinae atque eruditionis gloriam ei omnino concedimus: *dogmatum vero notitiam non item. Quia potius ab accurata illorum cognitione eum procul abfuisse*, compertum habemus. — — Si SCALIGERVM in *elencho Trihaeresii* Drusii de sectis Iudaicis commentariis adiecto c. XXIX p. 355. audire placet, nullius scriptorum eccl. plures alucinationes extant hodie, quam Eusebii. Adde iudicium BARONII Ann. T. III. A. D. 324. p. 214.

n) L. I. c. 8.

o) Socrat. l. 5. Theodor. l. 12.

eodem libro Eusebium *Arianorum principem* vocat. In epistola ad Ctesiphontem aduersus Pelagianos, *Eusebium Caesariensem Arianum fuisse, nemo est, qui nesciat.* Eandem sententiam sequuntur ZONARVS *p*) et NICEPHORVS *q*) Hic: *In multis tamen*, inquit, *eum* (Eusebium Pamphili) *apparet* Arii sententiam comprobasse, *vt qui filium, sicut id ex eius scriptis colligere licet*, creaturam *vocet.* Photius *r*): — — *etenim et hic eum pluribus locis* τον ὑιον βλασφημουντα *videas eundemque* secundam caussam *appellantem* ac ἀρχιϛρατηγον, *aliaque eiusmodi, quae* Arianorum insaniae *propria sunt.* Idem: *s*) — — *Quis illum* (Constantinum) *baptizarit, dissimulat. De Ariana insuper haeresi nihil aperte commemorat; nec vtrum ipse ei aliquando adhaeserit, nec quod eam abiecerit. Sed neque recte an secus senserit Arius, vsquam refert: tametsi haec necessario commemoranda essent. Quippe cum Nicaena Synodus inter res a Constantino gestas praecipuum locum obtineat, et alioqui exactissimam totius negotii narrationem ipsa suo quodam iure flagitare videatur. Verum ille dissensionem quidem inter Alexandrum et Arium exortam commemorat, sic enim haeresin callide et dissimulanter appellat* — — *verum haec*

 (quae

p) Ann. L. XIII. c. 4. quod quidem ex eius historia eccl. probare vult.
q) H. E. L. IX. c. 14. L. I. c. 1. L. VI. c. 37.
r) in Biblioth. 1611. c. 13. p. 11.
s) ibidem c. 127. p. 307.

(quae de Arii et Alexandri dissidio, hosque conciliandi studio Imperatoris narrat) *ab illo non satis accurate et aperte traduntur. Prorsus enim tamquam pudore suffusus, nec Arii impietatem publice traducere cupiens, tum Synodi sententiam aduersus Arium prolatam, tum eorum, qui impietatis eius socii et in exilium simul expulsi fuerunt, iustissimam vltionem, illud denique caelitus inflictum Ario exitium, quod omnium conspectui subiectum fuit, sciens praetermisit: nec historiam synodi, resque in ea gestas commemorauit.* Eandem sententiam sequuntur BARONIVS *t)* et *Natalis* ALEXANDER, *v)* omnium eruditissime hanc rem persecutus CLERICVS est. *x)* Cuius quidem sententiae auctoritas ex eo augeri posse videtur, quod synodus Tyria praesidibus vtroque Eusebio Caesareensi, et Nicomediensi habita fuit Ariana *y)*: Ariani Eusebio episcopatum Antiochenum tradere voluerunt: *z)* ad Eusebium prouocauit Arius *a)*: ex amicitia, qua Aria-

t) Ad Ann CCCXXXV. Eusebium Caesareensem perfidia atque astu Eusebio Nicomediensi non imparem esse dicit. A. CCCXL. confirmat iudicium antiquorum de Eusebii Arianismo, haecque addit: *eum defendere velle nihil aliud existimandum est, quam ecclesiam catholicam impugnare*

v) Saec. IV. c. 3. §. 2. p. 32.

x) In Epist Crit. Ep. 2. in artis criticae Vol. III.

y) EPIPH. haer. 68.

z) SOCRAT. I. 18. 24. SOZOM. II. 18. NICEPH. VIII. 45.

a) THEOD. I. 5.

Arianos Eusebius complexus est: ex iis, quae gessit contra Athanasium, et ex vestigiis Arianismi in libris eius obuiis. *b*) Eorum vero, qui Arianismi absoluunt Eusebium, princeps facile est CAVEVS. *c*) Quod si caussam animo ab omni partium studio alienissimo aestimamus, omnes illos, qui aliis formulis, quam erant in Nicaeno concilio constitutae, vsi sunt, ARIANORVM nomine antiqui ornasse videntur. Quod quidem iniquum adeo est, vt theologi vere orthodoxi, atque ab omni haeresi alieni, qui diuinam tantum auctoritatem sequuntur, neque humanis formulis vim inesse credunt, inuiso illo nomine condecorandi essent. Quin vero Eusebius, si ista Arianorum nominis potestas esse creditur, Arianus fuerit, dubium nullum est. Quamquam enim nobis non omnino probatur iudicium DVPINII, *Eusebium Orthodoxum quidem fuisse, sed Irenicum*; eum tamen non quidem Arii sententiam probasse, verum in eorum partes, quibus diuinitatis personae dispares gradus et ordinis esse videntur, propendisse censemus. *d*) Quod si quis fuerit, qui dubitet, an Nicaenae sententiae fauerit

b) NATALIS ALEXANDER. H. E. saec. IV. diss. XVII. et SANDIVS l. c. p. 46. 47. 135. 141. Quorum vterque multos adfert auctores Arianismi Eusebii testes.

c) In hist. litter. Col. Allobr. 1720. p. 111.

d) Quae est sententia MOSHEMII l. c. Saec. IV. P. II. c. II. §. 9.

Euſebius, legat, quibus ad auertendam ab eo ἑτεροδοξίας calumniam vſus eſt VALESIVS, argumenta, et ſi quid videt, nec ad inueſtigandum verum ineptus omnino eſt, dubitare credo deſinet. EVSEBIVS itaque is non fuit qui decretis Nicaenis auctoritatem addere potuiſſet. ATHANASIVS quidem iuris peritus adiutor erat infelicium epiſcoporum, quem pro flagello Arianorum habuerunt: inter caecos enim facile regnat luſcus. Quam vero ſacrarum rerum harumque explicandi veri ſenſus peritus fuerit, qua igitur auctoritate in concilio diſputarit, iudicet candidus rerum aeſtimator ex iis, quae contra Arianos adfert in libro ſuo *de ſynodi Nicaenae contra Arianam haereſin decretis*. Sunt etiam in ceteris eius libris, quibus iudicium illud confirmari poſſit: vt nobis hoc ipſo quidem momento in mentem venit memorabile illud contra Macedonium argumentum repetitum a Dauide, quem etiam ceu vnctum a Domino adorarit Nathan. Ex quo facile poteſt intelligi, quae fuerit eruditio epiſcoporum, quos ſua adiuuit Athanaſius. Hem! quae erit conciliorum auctoritas, quorum aſſeſſores ad tyrannidem adſpirant, religionis praecepta nec tenent, nec ſeruant, ipſique impuris cupiditatibus ſeruiunt. Verum vlterius progrediendum eſt: quum enim de re adeo graui, de ſeruanda aut abiicienda humana fide agitur, longior diſputatio in malam partem accipienda non eſt.

LI-

LIBRI SECVNDI

CAP. VI.

NEQVE incommodum erit in OCCASIONES inquirere, in quibus fuerunt, ob quas venerandae adeo ſocietates conuenirent, cauſſae. Aſt concilia non ſtatim coacta ſunt, vbi eſſet exorta hareſis, ſed quoties e re viſum eſt, et ſperarunt, fore vt ſuae ſententiae calculos adiiciant plurimi. Quod ſi ſpes iſta dubia eſſet, in diſſentientes nullo habito concilio a clero vel populi vel Imperatoris gratia freto ſaeuitum eſt. ALEXANDER ante concilium Nicaenum, et antequam de eo cogitatum eſſet, priuata auctoritate ex ciuitate ARIVM eiecit. *e)* Memorabilis eſt ſermo NESTORII tum quidem orthodoxi, et inſignis haereticorum flagelli *f)*: *δος μοι, ὠ βασιλευ, καθαραν την γην των αἱρετικων, καγω σοι τον οὐρανον ἀντιδωσω. συγκαθελε μοι τους αἱρετικους, καγω συγκαθελω σοι τους περσας.* Si vero de haereſibus conuocarentur epiſcopi, id plerumque factum eſt ob leuiſſimum diſſenſum. Quod profani adeo viderunt: AMMIANVS enim MAR-

e) Conf. ARII epiſtola ad Euſebium Nicomediae epiſcopum apud Theod. l. 5. et SOCRATES l. 6. et EPIPHANIVS haer LXIX. ex recenſ. Petauii. Col. 1682. T. I. p. 729. GELASIVS etiam CYZICENVS l. c. L. II. c. 2.

f) SOCRAT. VII. 29.

CELLINVS: g) *Christianam religionem*, inquit, *absolutam et simplicem anili superstitione confundens*, (Constantius) *in qua scrutanda perplexius, quam componenda grauius excitauit dissidia plurima, quae progressa fusius aluit concertatione verborum, vt cateruis antistitum iumentis publicis vltro citroque discurrentibus per synodos, quas appellat, dum ritum omnem ad suum trahere conantur arbitrium, rei vehicularíae succideret neruos.* Saepe de littera aut vocula lis erat: qui tamen dissensus, si sacerdotes haeresin eum esse voluerunt, grauissimi criminis loco habitus est. Nec aliter de lite Ariana iudicauit vel ipse CONSTANTINVS. In epistola ad Alexandrum episcopum et Arium presbyterum; h) *ac mihi quidem*, inquit, *de harum rerum initio ac origine accuratius cogitanti* leuis admodum caussa visa est, nec tanta animorum contentione digna — — *Inde igitur praesentis controuersiae fundamentum intelligo iactum esse, quod tu Alexander a presbyteris* de loco quodam in S. litteris scripto quaerebas, immo vero de in-

g) L. XXI. in fine.

h) Apud EVSEBIVM de V. C. II. c. 68-72. SOCRAT. I. 7. SOZOM. I. 16. vbi multa de inanibus theologorum controuersiis praeclare dicta sunt. SOCRATES equidem. L. I. c. 5. eandem, quam Constantinus, de hac lite sententiam tulit. NICEPHORVS etiam H. E. L. VIII. c. 5. Nugas dicit et contentiosas disputationes, quae speciem vtilitatis prae se tulissent, de quibus antea quaesitum non esset, ea in quaestionem adduxisse.

inani quadam quaeſtionis particula ſciſcitabaris, quid quisque eorum ſentiret. — — *Veſter conſeruus vos hortatur, vt de rebus eiusmodi nec omnino rogetis, nec ad rogatum reſpondeatis.* Alexandrum curioſius aliquando diſſeruiſſe, et ſubtilius de ſancta Trinitate, vnitatemque in Trinitate eſſe, refert SOCRATES. *i*) Quam ſententiam quoniam Arius Sabellianiſmum redolere ſuſpicabatur, *l*) in opinionem venit Sabellii opinioni omnino contrariam. Quamquam Alexander auctor fuerat, *m*) et Arium ex eccleſia eiecit, in diſceptatione tamen cum eo in conſeſſu cleri habita dubitaſſe aliquantiſper videtur, ab cuius parte ſtet veritas. *n*) Verſata vero omnis controuerſia in voce ὁμοουσιος eſt. Formulae fidei ab Arianis ſynodo oblatae, quam proponit Euſebius in epiſtola ad eccleſiam poſt concilium ſcripta, in qua filius προ παντων των αἰωνων ἐκ του πατρος γεγενημενος dicitur, nemo contradixit, quare imperator iuſſit, vt omnes eidem aſſentirentur, ac ſubſcriberent, modo vox CONSVBSTANTIALE adderetur. *o*) Hanc vocem a Nicaenis inuentam eſſe, non Nicaenae fidei aduerſariorum, ſed acerrimorum defenſorum ſententia

i) I. 5.

l) Ibidem.

m) Ibidem.

n) SOZOM. I. 15. et IV. 32.

o) Auctore equidem EVSEBIO: THEODORETVS vero l. 7. diſcerptam eſſe formulam ait. Quare ſuſpecta nonnullis Euſebii narratio eſt.

tentia est. In epistola synodica ad imperatorem Constantium episcopi ad concilium Ariminense coacti, iique Nicaenae doctrinae in hac ipsa epistola studiosi sanctos confessores ac martyres huius dogmatis auctores et inuentores fuisse dicunt. *p)* Solent etiam Critici ex hac voce aliisque, quibus antiquissimi Christiani vsi non sunt, colligere, scripta antiquioribus auctoribus attributa, in quibus occurant illae voces, spuria et suppostititia esse. Quam diligenter tamen vrgere solent, vocem ὁμοουσιος adhibitam esse ante concilium Nicaenum. Quod catholicos attinet, testes quidem SOCRATEM et ATHANASIVM adferunt. Ille enim: *q)* nonnullos veteres episcopos et scriptores in patris et filii diuinitate explicanda hoc verbo vsos esse: hic vero apud THEODORETVM *r)* Eusebium eandem sententiam habuisse adfirmat. Ast si exempla, non testimonia requirimus, illis vere carent. Nesciunt enim, quae adducant, nec omnino haberent, nisi ex Athanasio THEOGNOSTI et DIONYSII nomine transscriberent. *s)* At THEOGNOSTI

p) THEODORET. II. 19. SOCRAT. II. 29. SOZOM. IV. 17.

q) L. II. c. 5. p. 511. in Hist. eccl. scriptoribus Graecis graecolatine ex interpr. IO. CHRISTOPHORSONI Col. Allobr. 1612. editis.

r) L. I. c. 8. et in libro suo de decretis syn. Nic. nec non de Syn. Arim. et Seleuc.

s) Conf. PETAVII Theol. Dogm. T. II. L. IV. c. 5. §. 1.

STI hypotyposeon libri septem tantum ex PHOTIO noti sunt, cui homo iste ORIGENIS sententiam secutus esse videtur. *r*) De DIONYSII Alexandrini scriptis non supersunt nisi fragmenta, eaque ne certa quidem, et breuis epistola. Ea enim, quae contra Paullum Samosatenum, vel vt alii malunt, Sabellium scripta ab eo esse dicitur, suppositia est: quod si non esset, dubitaretur, quo sensu vocem ὁμοουσιος adhibuisset. Adhibitam vero esse a profanis scriptoribus, et ab haereticis, a nemine negari potest, nisi ab homine antiquarum rerum ignaro. Vsus illa est Plato, vsi sunt Aristoteles, Plotinus, Porphyrius, Iamblichius, et ex haereticis Paullus Samosatenus, ac Gnostici. Nec minus indubium est, hanc vocem reiectam esse in synodis, non illis solum quas coegerunt Ariani, cuius nominis vim supra demonstrauimus, verum etiam Antiochena saeculo tertio aduersus Paullum Samosatenum habita, quae a plerisque pro duabus synodis habetur, quoniam in altera retractasse Paullus, in altera depositus esse, alteri Firmilianus, alteri Helenus praesedisse videtur. Quamquidem, vt ex innumeris scriptoribus paucos modo excitemus, de Antichena synodo sententiam CVRCELLAEVS, CLERICVS, SAM. MARESIVS, PET. ZORNIVS, RAV in historia vocis ὁμοουσιος, HOLBERGIVS aliique secuti

r) PHOTII biblioth. a Schotto 1611. edita p. 279. Cod. 106.

ſecuti ſunt. Quamquam hanc vocem alio omnino ſenſu Nicaeae ſtabilitam, alio Antiochiae reiectam, eſſe ſtatuant, ATHANASII auctoritatem ſecuti, nobis equidem non omni dubio carere videtur, quae vera fuerit PAVLLI ſententia. Verba enim ATHANASII, ex quibus Celeb. IABLONSKI efficere vult s) PAVLLVM abhorruiſſe ab huius vocis vſu, non aliam admittunt interpretationem, quam eam, quae allatae modo ATHANASII ſententiae non repugnet. Quod ſi fides haberi poſſet SANDIO t), patres Antiochenos in epiſtola ad Paullum ARIANIZASSE diceremus. De qua re vero iudicare propterea nolumus, quod bibliotheca patrum, in qua epiſtola illa extat, ad manus non eſt, SANDIVS etiam a PETAVIO epiſcopos illos in illorum numerum, qui idem quod Arius tradidiſſent, relatos eſſe dicit, quem locum in Petauii libris non inuenimus. Non eſſe tamen, cur magnopere confidant ſententiae Athanaſii, ex philoſophandi, qua de hac ipſa re vſus eſt, ratione aequus quisque rerum aeſtimator facile colliget. v) *Caeterum quia adfirmant*, inquit, *epiſcopos, qui Samoſatenum condemnarunt, dixiſſe filium non eſſe patri* ὁμο-

s) In diſp. de genuina Paulli Samoſateni doctrina, in Acad. noſtra 1736. edit. §. 5.

t) Hiſt. eccleſ. p. 123. 124.

v) In Ep. de Synodis Arimini et Seleuciae habitis. Opp. T. I. p. 706.

ὁμοούσιον, ac iam deinde ipſos ob reuerentiam honoremque eorum, qui ita locuti ſunt, ab hac voce abhorrere, rectum fuerit reuerenter cum iis de ea re diſceptationes facere. Nam arietare cum illis prorſus indecorum eſt, eo quod omnes patres ſint. Rurſus diiudicare, iſtos bene, illos male dixiſſe, nequaquam ſanctum eſt. Omnes enim ἐκοιμήθησαν ἐν Χριςῷ. Fuiſſe vero vocem iſtam patribus orthodoxis etiam poſt Concilium Nicaenum ambiguam, intelligi poteſt ex iis, quae SOCRATES commemorat. *x*) *Sicut nos*, inquit, *ex variis epiſtolis, quas poſt concilium epiſcopi alter ad alterum ſcripſerunt, perſpicue deprehendimus, verbum ὁμοούσιον nonnullorum animos vehementer conturbauit*: in quo quidem excutiendo, dum multum temporis ac ſtudii conſumebant, eiusque vim tamquam ad viuum reſecare curioſe nimium moliebantur, *inteſtinum bellum inter ipſos excitarunt, atque ea, quae gerebantur, nihil a nocturna pugna diſcreparunt. Nam minime omnino ab ſe mutuo videbatur intelligi, cur ſe inter ipſos maledictis concidere occoepiſſent. Etenim qui vocem ὁμοούσιον repudiabant, illos, qui eandem receperant,* Sabellii *et* Montani *opinionem de integro introducere cenſuerunt, et ob eam cauſſam eas* blaſphematores *nuncuparunt, tamquam* filii Dei eſſentiam *tollere molientes. Qui autem contra fidei ὁμοούσιον firme adhaereſcebant, alios* multos deos *inuehere arbitrati ſunt, eosque tamquam* gentilitatem *inferentes*

x) l. c. L. I. c. 23.

ferentes auersati — — — Idem ex RVFINI historia *y)*, et *ex dissertationum, quas Historiae ecclesiasticae suae Tomo quarto adiecit* NATALIS ALEXANDER, *decima quarta et quinta* confirmari potest. Neque totius disputandi de Trinitate generis admodum certos fuisse, ex eo nos equidem colligimus, quod et Catholici Arianorum instar, et Catholicorum more Ariani loquuntur, patresque contra Sabellium disputantes Arianismo, Arium autem dum refutant, Sabellianismo fauere videntur, cuius quidem rei alio forsan tempore specimen edere fas erit. *z)* Non est ergo, cur simulemus, nos non probare Constantini sententiam, de re leui, ac parui momenti exortum inter Alexandrum et Arium dissidium esse. Quod cum consideramus, venit in mentem memorabile illud GREGORII NAZIANZENI, qui in oratione de laudibus Athanasii: *res*, inquit, *profecto ridicula, vel potius miseranda. Diuersae fidei speciem leuis illa et ieiuna de sono vocum altercatio. Hinc deinde et* Sabellianismus *ob tres personas excogitatus est*, *et* Arianismus *ob tres hypostases, quorum vtrumque pertinax contendendi studium effinxerat.* Ne vero paullo audaciores in ferendo de ea re iudicio fuisse vi-

y) L. I. c. 21.

z) Quid alii, BAELII certe admiratores, qui apud hunc scriptorem similem obseruationem extare non nescient, ex sententia nostra colligant, non curamus.

videamus, quae poſtquam patrum Nicaenorum auctoritate definita eſt, grauis adeo ac ſancta facta eſſe creditur, vt ſempiternae ſalutis ſpem inire homini non liceat, qui decreta Nicaena in dubium vocare auſus fuerit, adiicimus teſtimonia theologorum fidei ac auctoritatis pleniſſimorum. AVGVSTINVS a) *magna prorſus inopia humanum laborare* (de Trinitate) *eloquium, neque adhiberi terminos* adfirmat, *vt aliquid diceretur, ſed ne taceretur.* LVTHERVS contra Latomum: *nec eſt,* inquit, *quod mihi* ὁμοούσιον *illud obiectes aduerſus Arianos receptum.* Non fuit receptum a multis, iisque praeclariſſimis, quod et Hieronymus optauit aboleri, adeoque non effugerunt periculum hoc inuento vocabulo, vt Hieronymus queratur neſcire, quid veneni lateat in ſyllabis et litteris, adeo illud Ariani magis, quam ſcripturas etiam exagitabant — — *Quid ſi odit anima mea vocem* ὁμοούσιος, *et nolim ea vti, non ero haereticus.* CALVINVS: b) *Vtinam quidem ſepulta* (inuenta nomina) *eſſent — — neque vero tam praeciſa ſum auſteritate, vt ob nudas voculas digladiari ſuſtineam. Animaduerto enim veteres multa alioqui religione de iis rebus loquentes, nec inter ſe nec ſingulos etiam ſecum vbique conſentire. Quas enim Hilarius formulas a conciliis vſurpatas excuſat? quo licentiae interdum proſilit*

F

a) De Trinitate. L. V. c. 9.
b) Inſtit. L. I. c. 13. §. 5.

silit Augustinus? quam absimiles sunt Graeci Latinis! sed hic eius variationis exemplum vnum sufficiat. Nomen ὁμοουσιον cum reddere Latine vellent, dixerunt consubstantialem, *vnam esse Patris et Filii substantiam indicantes, atque ita* substantiam *vsurpantes* pro essentia. *Vnde et Hieronymus ad Damasum sacrilegium esse dicit,* tres in Deo substantias praedicare. *Atqui plus centies apud Hilarium reperies*, tres esse in Deo substantias — — Nec antiquitus quaestionem illam, quae non ad *religionem*, sed ad *theologiam*, aut si mauis, ad *philosophiam*, quam nos equidem dicere solemus, *theologicam* pertinet, tanti habitam non esse, ex eo intelligimus, quod patrum, qui ante Nicaenum Concilium vixerunt, plurimi, forsan omnes, ii saltem, quorum ad nos incorrupta scripta peruenerunt, de rebus sacris longe aliter senserunt, quam deinde in concilio constitutum est, Praeter SANDIVM in nucleo historiae ecclesiasticae et QVICKERVM in Irenico Irenicorum sententiae istius auctores habemus PETAVIVM *c*) BRVCKERVM in historia Philosophiae, WHITBY *d*) GIL-

c) Dogm. T. II. L. I. c. 3-6.

d) In disquisitionibus modestis in clarissimi Bulli defensionem fidei Nicaenae. Lond. 1718. Georgio enim Bullo Presbytero Anglicano auctore prodierat Oxonii 1685. defensio fidei Nicaenae ex scriptis, quae extant, catholicorum doctorum, qui intra tria prima Ecclesiae Christianae saecula floruerunt. In qua obiter quoque CPlitana confessio de spiritu S. antiquiorum testimoniis adstruitur.

GILBERTVM CLERKE *e)*, HVETIVM *f)*, IVRIVM *g)* aliosque. Nec ab ea omnino abhorruisse videtur MOSHEMIVS. *h)* Sunt etiam theologi restitutis puritati sacris addicti, qui terminos illos in dogmate de Trinitate adhiberi solitos, simpliciter necessarios

 esse

e) In Ante-Nicenismo, qui exhibet testimonia patrum Ante-Nicenorum, in quibus elucet sensus Ecclesiae Primaeuo-Catholicae quoad articulum de Trinitate, nec non in responsione sua ad Bulli defensionem, quibus libris vno volumine 695 editis addita est scriptio, qua vera et antiqua fides de diuinitate Christi contra Bulli iudicium explicata et asserta dicitur.

f) In Orig L. II. c. II. §. X. p. 36. seq. patres Ante Nicaenos Platonis castra secutos esse ait.

g) In Apol. Moral. Reform. contra Arnoldum c. 15. inter scriptores trium primorum saeculorum nullum esse scribit, qui non vsus sit terminis, qui inaequalitatem inter patrem et filium exprimere videntur.

h) l. c. Saec. IV. P. II. c. V. §. 9. -- -- dogma de tribus personis -- -- tribus prioribus rerum Christianarum saeculis nondum ex toto definitum erat. Hoc quidem contra Sabellianos et alios saepe decretum erat, vere Patrem a Filio, et ab vtroque Spiritum sanctum differre -- -- -- at de mutua harum personarum relatione, atque discriminis, quod eas disiungit, natura nec disputatum, nec idcirco ab ecclesia praeceptum erat aliquid. Multo minus formulae praescriptae erant, quibus de hoc mysterio loquendum esset. Itaque diuerso modo doctores sine offensione hanc rem explicabant, et variae de Patris, Filii et Spiritus S. diffe-

esse negant, sed posse sine illis mysterium Trinitatis proponi vltro fatentur. *i*) Quare nos nondum poenitet, quum hos libros primum ederemus, viri, qui Ven. SEMLERVM de patrum Ante-Nicaenorum fide Petauii sententiam secutum mirabili certe ignorantiae aut leuitatis argumento Socinianismi accusarat, improbasse immodestiam. Turpe enim est, cognitioni et perceptioni assertionem approbationemque, turpius contrariae sententiae defensorum criminationem praecurrere. Quod eo minus poenitere potest, quam paullo post se errasse fassus ipse est. Hactenus ergo de occasione concilii Nicaeni — — Quod de Ariana lite Constantinus, idem fere de Macedonianorum caussa existimauit THEODOSIVS, *l*) quam ob rem etiam solitas περι οὐσιας και φυσεως θεου disputationes vetuit. NESTORIVM nobis depingunt ceu hominem ignarum, superbum, crudelem et impium: dogma vero eius horrendum: hae enim sunt elegantiae, quibus di-spu-

differentia disserebant. In Aegypto, vicinisque regionibus, plerique cum aliis in rebus, tum hoc in dogmate, Origenis sequebantur sententias, qui docuerat, Filium in Deo id esse, quod ratio est in homine, et Spiritum Sanctum nihil aliud; quam vim agendi et operandi diuinam - - -

i) Conf. REINH. HENR. ROLLII diss. theol. de terminis ecclesiasticis in loco de Deo Vnitrino adhiberi solitis. Giessae 1750. § 2.

l) NICEPHOR. H. E. L. XII. c. 10.

ſputationes ſuas vel inuectiuas in Neſtorium et veteres et recentiores exornare ſolent. At ſi propius et penitius origo magni huius ſchiſmatis diſcutiatur, fatendum eſt ſagacibus et candidis rerum aeſtimatoribus, omnes has turbas concitatas fuiſſe propter mera verba, meraſque locutiones. m) CYRILLVS in epiſtola ad Aegypti monachos: n) *Audio enim*; inquit, *exitiales quosdam rumores inter vos proſeminatos; nonnullos quoque oberrare, qui ſinceram veſtram fidem demoliri ſtudeant*, et inanium vocularum bullas apud rude vulgus eructantes, *vtrum* Θεοτοκον *ſacram virginem appellare liceat, in controuerſiam vocare audeant. Praeſtaret ſane eiusmodi quaeſtionibus omnino ſuperſedere, et in ea, quae abſtruſionis conſiderationis ſunt, nec aliter fere, niſi veluti in ſpeculo et aenigmate etiam ab iis, qui ingenii celeritate mentisque ſubtilitate pollent, perſpici poſſunt, nequaquam inquirere.* — — NESTORIVS ſe a ſententia, qua in Chriſto duae perſonae fuiſſe creduntur, alieniſſimum ad vitae vſque finem profeſſus eſt. o) Neque

 haec

m) Hoc IABLONSKII iudicium eſt in exercit. *de Neſtorianiſmo* Berolini. 1724. edito. Vid. eius etiam hiſt. eccl. Saec. V. c. 3 §. 4. p. 146. ſeq.

n) Quae extat in Actis Oecumenicae tertiae ſynodi, Epheſi habitae Theodoro Peltano interprete vna cum Gelaſii commentario in Acta Concilii Nicaeni in bibliopolio Commeliniano 1604 editis.

o) MOSHEMIVS l. c. Saec. V. P. II. c. V. §. 9.

teſtes

haec opinio vnquam diserte ab eo proposita, sed ab aduersariis eius tantum repudiato DEIPARE cognomine, loquendique modis quibusdam incautis et ambiguis lege consecutionis expressa est. Hinc sunt tam veterum, quam recentiorum longe plurimi, qui idem ipsum, quod Ephesinos, sensisse, alio vero modo locutum esse arbitrantur, omnemque culpam funestissimi huius dissidii in Cyrilli turbulentum ingenium, et iniquam erga Nestorium voluntatem coniiciunt. *p*) Dictu igitur mirabile equidem, sed verissimum est, a Constantino M. inde vsque ad saeculum, quod sacrae ciuitati pristinam puritatem reddere coepit, plerasque disputationes, quae haereses, lites, bella pepererunt, non ex sacris litteris, sed sectaria philosophia repetitas, multasque adeo hominum myriades ob Platonis aut Aristotelis auctoritatem omni miseriarum genere vexatas esse. En graues conciliorum caussas: audi vero etiam, quo ordine res in sanctis his consessibus gestae sint.

LIBRI

testes adfert MARIVM MERCATOREM in Op. T. II. p. 286. edit. Garnerii, et Nestorium ipsum in fragmentis epistolarum in ASSEMANI Bibl. Orient. Vat. T. II. p. 40. 41.

p) MOSHEMIVS l. c.

LIBRI SECVNDI

CAP. VII.

PRIMO ergo DE NICAENO, quod honoris caussa την μεγαλην συνοδον vocare solet ATHANASIVS. Res narrabitur, vt est. De rebus gestis loquimur, vtrum dogmata sacrorum scriptorum sententiis consentanea sint, non disquirimus. Non agitur recipiendae aut abiiciendae patrum doctrinae caussa, sed vtrum ob conciliorum auctoritatem assumenda sit, disputatur. Concilii necessitatem Imperator non vidit, pacis potius suasor fuit, de rebus minoribus litem esse existimans. Alexander vero, postquam legatum Imperatoris Hosium, quem ad Arianorum partes postea abiisse opinati sunt *q)*, in amicitiam suam

q) Lege SVLPIC. SEVER. L. II. c. 40. SOCRATE auctore l. 26. fidei Sirmiensis formulis, postquam plagae ipsi inflictae, membraque machinis distorta essent, necessitate compulsus, consensit et subscripsit. Id ita factum esse, ὡς λεγεται, adfirmat SOZOMENVS L. IV. 5. PHILOSTORGIVS etiam L. IV. c. 3. et contra ὁμοουσιον et contra Athanasium subscripsisse: ad quem locum consulendae sunt GOTHOFREDI dissertationes. Praeter hos et ex his Hosii lapsum multi alii commemorant. Vtrum vero resipuerit, res et WEISMANNI, et nostro iudicio dubitationem habet. BARONIVS. Athanasii in epist. ad solit. vit. agent. et Apol. II. auctoritatem secutus Cordubensem illum episcopum

ſuam pertraxerat, ab Imperatore impetrauit, vt concilium conuocaretur. *r)* Cum tandem Arii, quem ingenii et eruditionis laude multis praeſtitiſſe, et moribus ad pietatis ac modeſtiae profeſſionem compoſitis ſe commendaſſe, ne haereticorum acerrimi quidem cenſores negant, *s)* ad iſtos iudices delata cauſſa eſſet, antequam eſſet cognita, damnandam eſſe pronuntiarunt, *t)* eoque ſimul conſilio ſe conueniſſe moſtrarunt, vt poſthabita veritatis inueſtigatione opinioni ſuae inuiolatam auctoritatem conciliarent. Ab his iudicibus, quorum virtutes ſupra demonſtrauimus, cauſa religionis aeſtimanda erat. Praeerat iis quidem Imperator Conſtantinus illo ipſo tempore a nece Licinii reuerſus, qui autem

pum reſipuiſſe putat, vellicatus eam ob rem a CASPARO BARLAEO. Reſipuiſſe negant FAVSTINVS et MARCELLINVS in libello ad Theod. et Valentin.

r) EPIPHANIVS. haer. LXVIII.

s) VITRINGA in Apocal. c. VIII. 10. p. 358. 359. LIGHTFOOT. Opp. T. II. Opp. Poſth. p. 165. SALMERO in diſp. X. in epiſt. ad Romanos. IAC. BASNAGE dans l' hiſtoire de l'egliſe. T. I. p. 80.

t) Conf. Oratio EVSTATHII apud BARONIVM ad Ann. CCCXXV. PHILOSTORGIVS L. I. 6. SOCRAT. I. 9. THEODORET. L. I. c. 8. 9. NAT. ALEX. H. E. T. IV. Saec. IV. c. 3. §. 2. p. 31. An Arius adfuerit non liquet. EPIPHANIVS p. 720. mortuum fuiſſe ſcribit, cum concilium ageretur: diſſentiunt ceteri.

autem *episcoporum decreta*, vt SVLPICII verbis vtamur, *complexus est. v)* Additi ei etiam erant praesides ex clericis sumti, de quo honorifico praesidendi officio motus etiam excitatos esse, scriptorum nonnulli autumarunt. Quam huius aeui licentiam, abhorrentesque a Christiana humanitate ministrorum sensus, quam impune in alios saeuierint, contemplaturis haud aliena videbuntur verba LIVII, qui: *nihil fallacius est*, inquit, *quam praua religio. Vbi Dei numen praetenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis diuini iuris aliquid immistum violemus.* In Concilio CONSTANTINOPOLITANO non sancti Euangelii, sed Nicaenorum decretorum ratio habita est. In Maximi Cynici locum ponunt Nectarium, et propter sacrarum rerum ignorantiam, et vitam ante actam ad feliciter obeundum episcopi munus inhabilem. *x)* Quem antequam Imperator elegisset, singuli e necassariis suis aliquem ad episcopi CPlitani dignitatem perducere cupiebant, quod quidem disertis verbis adfirmat SOZOMENVS. *y)* Quam studiosi fuerint hi iudices vani honoris, in hoc

v) L. II. c. 35. Quanta vero reuerentia prosecutus sit episcopos, docet GELASIVS in actis Conc. Nic. c. VI. et VII. EVSEBIVS etiam de V. C. L. III. 10.

x) SOCRAT. V. 8. THEOD. V. 7. SOZOM. V. 7. VII. 7.

y) l. c. VII. 7.

etiam conuentu aperte declararunt ipsi. z) EPHESI res haud ceciderunt felicius. a) Quod si memineris, quis fuerit CYRILLVS qui Nestorium condemnauit, reuocabit autem in memoriam BARBEYRACIVS b), qui hominem ambitiosum fuisse docet, et violentum, qui amplificandae modo auctoritati studuerit, nec ab vllo abstinuerit atrocitatis genere; intelliges sane, qui res in isto concilio geri potuerint. Nec te falli, sed fuisse in sancto conuentu Cyrillum sui similem DVPINIVS testis esto. c) Quamquam CYRIL-

LVS

z) SOZOM. VII. 7-10. NICEPHORVS l. c. XIII. 12. 14.

a) Conf. Acta huius Concilii.

b) In praef. ad PVFFENDORFII Ius Naturae Galli edit.

c) Biblioth. des Aut. Eccl. T. III. P. II. p. 320 — — *La maniere, dont la chose est jugée, semble encore prouver clairement, que c'etoit la passion, qui faisoit agir St. Cyrille, et les Eveques de son parti, qu'ils vouloient, a quelque prix que ce fut, condamner Nestorius, et qu'ils ne craignoient rien tant que la venue des Eveques d'Orient, de peur de n'etre pas les maitres de faire ce qu'il leur plairait. Car des la premiere seance, ils citerent par deux foix Nestorius, lurent les temoignages des Peres, les lettres du St. Cyrille avec ses douze Chapitres, et les ecrits de Nestorius, et dirent tous leur avis. Iamais affaire n'a eté conclue avec tant de precipitation: la moindre de ces choses meritoit vne seance entiere. Comment a-t-on pu examiner en si peu de tems les douze propositions de St. Cyrille, qui ont eu besoin de tant d'ecla-*

LVS sacrorum scriptorum auctoritatem secutus non est, *d)* iniurius etiam fuit Nestorio, eiusque scriptis, *e)* sententiam suam tamen, qua condemnauit Nestorium, Iesu Christo attribuere non dubitauit. *f)* Ad quam ferendam, vel probandam potius per sacros canones, et epistolam sanctissimi patris,

d'eclaircissemens, et qui ont tant causé de disputes? Comment conferer tant de passages des sermons de Nestorius avec ce, qui les precedoit et suivoit, pour en trouver le vrai sens? Comment pouvoit-on etre assuré en si peu de tems des sentimens des anciens peres? Toutes ces choses demandoient un long et serieux examen de plusieurs jours; mais les eveques du Concile avoient si peur de ne pas achever dans cette seule seance, qu'ils demeurerent enfermes depuis le matin jusqu'au soir, pour juger seuls cette affaire, de peur que les choses ne tournassent autrement s'ils attendoient au l'endemain. La sentence qu'ils font signifier a Nestorius est concue en des termes, qui marquent la passion, qui les animoit: A Nestorius nouveau Iudas. N'etoit ce pas assez de le condamner et de le deposer, sans l'insulter encore par des paroles iniurieuses? Conf. etiam SOCRAT. L. VII. c. 34. EVAGRIVS H. E. L. I. c. 4. IABLONSKI Instit. hist. Christ. Saec. V. c. III. §. 4. seq. MOSHEMIVS l. c. Saec. V. P. II. c. V. G. ARNOLDVS H. E. L. V. c. III. §. 10. p. 229.

d) EVAGRIVS l. c.

e) LIBERATVS c. V. breuiarii: Cyrillus, inquit, deflorationes quasdam librorum Nestorii faciebat, eum perturbare volens: erat enim, vt dicitur, eius inimicus.

f) ARNOLDVS l. c. p. 236. GELAS. in Act. Syn. Eph. p. 105.

tris, et Comminiſtri Coeleſtini Romanae ec- cleſiae epiſcopi coactam eſſe ſynodum pro- bare vult ALEXANDER NATALIS. *g)* Pe- lagiani vero, quod in illo Concilio non o- mnia Anathemata probarunt, cum Neſtorianis vna condemnati ſunt. Alienum eſſe dice- bant patres, XXX. ſe opponere velle con- cilio ſanctorum CCX. epiſcoporum. *h)* In Concilio CONSTANTINOPOLITANO con- tra Eutychem A. A. C. N. CDXLVIIII habito *i)*, licet publice teſtaretur, nolle ſeſe a fratrum communione diuellere, iuſſus et- iam eiurare haereſin ſuam, ſe, ſi ita vellent, facturum eſſe reſponderet, a munere tamen remotus, coetu etiam ſacro excluſus eſt. Intercesſit vero apud Theodoſium Eudocia, precibusque ſuis effecit, vt proximo anno propter Eutichetis cauſſam ſynodus, in qua iudices CPlitani aut auctores eſſent, aut rei, EPHESI ageretur. Sub ipſo concilii initio traditas ab Iulio litteras ſupprimit Dioſcorus, et Eutychetis, quem exhibuerat, libello per- lecto, ſurgit de medio patrum, altaque vo- ce, hunc optimam de religione ſententiam, neque ſe aliam ſequi pronuntiat. Quo au- dito Eutyches reſumit animum, de iniuriis CPlitanis acerrime queritur monachique tre- centi libellum offerunt, quo ſe communioni, a qua Flauianus ſubmouerat, reſtitui rogant.

Exitus

g) H. E. T. V. p. 68.
h) ARNOLDVS l. c. c. V. §. 4. p. 241.
i) EVAGRIVS L. I. c. IX.

Exitus est, vt CPlitana acta rescindantur, Eutyches Catholicus pronuntietur, pristinaeque dignitati restituatur, anathema denique iis dicatur, qui duas esse in Christo naturas docuerint. Eusebio impietatis damnato, Flauiano proscripto, Episcopi ceteri partim a monachis, partim et maxime a purpuratis aulae minis verberibusque compelluntur, vt synodi sententiae subscribant. Flauianus vim animaduertens ad Romanum episcopum prouocat, iussu autem Barsumae, monachi a milite aliquo, erant enim milites cum gladiis et fustibus in concilium intromissi, ad necem vsque caeditur, petiturque calcibus, vt triduo post ex concepta pectoris plaga decederet. Ab isto tragico exitu synodus adhuc *latrocinalis* et *praedatoria* dici solet. *l*) Tantis malis medelam allaturum conuocatur tandem Concilium CHALCEDONENSE *m*), in quo primo Romanus Pontifex praeses fuit, habitum ad tumulum S. Euphemiae. MARCIANVS symbolum Nicaenum sanctissimae legis instar seruari praeceperat, quo vero prudentior LEO sacros libros

l) EVAGRIVS L. I. 9. 10. II. 2. 4. 18. ZONARAS, L. XIII. 23. NICEPHOR. CALL. L. XIV. 47. 49.

m) EVAGRIVS L. II. c. 2. 3. 4. 18. III. 4. NICEPHORVS XV. 2. et sequ. Legant inprimis velim c. V. ZONARAS Ann. L. XIII. 24. 25. THEODORVS LECTOR. Coll. L. I. DVPINIVS l. c. p. 327.

libros, horumque in ortis de rebus ſacris controuerſiis vſum atque auctoritatem data epiſtola commendauit. Qua lecta a poenis initium ſumunt, qui pontificis vices ſuſtinebant, legati, iubentque abire e conſeſſu Dioſcorum, qui quidem ſurgit, ſed in medio epiſcoporum iterum conſidet. Poſthaec prodit Euſebius, accuſat Dioſcorum, eum et Eutychetis aſſeclam, et commiſſae in Flauiano caedis auctorem eſſe, rogatque, vt Epheſina acta reſcindantur. Cognitis Dioſcori facinoribus, epiſcopos, qui ad Epheſinorum conſilia acceſſerant, niſi vitandi tumultus cauſſa pro iis interceſſiſſent patres Chalcedonenſes, a publicis muneribus remouiſſet Imperator. In his praeter Iuuenalem patriarcham Hieroſolymitanum quatuor erant epiſcopi, qui ſupplices veniam rogarunt, ſe exilii, fuſtium, enſium, militum metu ſententiam in charta pura ſubſcripſiſſe. Vtrum in hoc concilio ſacros libros conſuluerint, incertum, certiſſimum e contrario eſt, praeter ſymbola Conciliorum, adhibitam etiam eſſe LEONIS epiſtolam, qua lecta, hanc eſſe Apoſtolorum fidem clamarint. Nec dubium eſt, quin ea epiſtola in ſymboli Chalcedonenſis loco poſita ſit. Ingens vero ortus tumultus eſt, quum multi epiſcopi, quamuis pro orthodoxis haberentur, epiſtolam ſubſcribere nollent, monachi etiam, qui eo aeuo tantum non omnes Eutychiani erant, de reſtituendo Diſcoro ſupplicarent: quibus autem

autem ſynodus alta voce reſpondit: *Anathema Dioſcoro, foras monachos.* Theodoretum ad damnandum Neſtorium cogunt, Ibarum ſe decies mille anathemata Neſtorio et Eutychi dicere velle pollicitum recipiunt, Epheſinum Concilium Oecumenicis adſcribi vetant, Conciliorum itaque auctoritatem ex ſua pendere docent. Quam vere in omnibus conciliis dici potuiſſet, quod dixit olim in Seleuciano praeſes ex aula miſſus Leonas, qui, cum turbas videret, concilium dimiſit, et reuocatus ab epiſcopis reſpondit: ἐπειδη δε τινες διεϛησαν, ὀ δυναμαι παραγινεσθαι, ἀπελθετε οὐν, και ἐν τῃ ἐκκλησια φλυαρειτε. n)

LIBRI SECVNDI

CAP. VIII.

Ea, quae viri toti terrarum orbi, cunctisque ſaeculis leges daturi DECREVERVNT, breuitatis ſtudioſi leuiter tangemus. At Nicaena decreta, cetera enim ſilentio praeterire malumus, deprauata ſunt, quod acerrimi conciliorum defenſores negare non ſolent. Numerus incertus eſt. In conciliorum editione XX canones recenſentur, quacum conſentiunt THEODORETVS *o)*, et GELASIVS: *p)* apud RVFINVM *q)* vero XXII

n) SOCRAT. II. 40. o) l. c. L. I. 8.

p) l. c. II. 31. q) l. c. I. 6.

XXII leguntur. Apud hunc equidem scriptorem quatuor canonibus eadem comprehendi aiunt, quae apud ceteros auctores in duobus, sexto nimirum et octauo continentur: quod quamquam non omni veri specie caret, magna tamen est in comparandis secum canonum omnium editionibus difficultas. IACOBI BASNAGII quidem iudicio dubium est, an canones isti, si integri essent, augerent, qua plerique synodum istam prosequuntur, an minuerent venerationem. In illis, quae supersunt et circumferuntur, aperta vestigia Papismi sunt. Ex quo genere datum episcopis mandatum est, caueant, *ne quis absque viatico e vita decedat. r)* Cui honori patribus istis cedit, quod, nisi luscus Paphautius, cui, quum imperante Maximino vexarentur Christiani, alter oculus ferro effosus erat, acutius vidisset, eosque docuisset meliora, *caelibatum clericis mandassent*, nullaque habita auctoritatis viri huius ac consilii ratione in caelibatu viuentibus, quamquam sacrae litterae contrarium statuunt, matrimonium interdixerint? *s)* VALESIVS equidem *t)* hanc rem in dubium vocat: at ex RVFINI silentio, quem alio in loco auctorem parum diligentem Valesius ipse dicit, quidquam confici posse non videtur. Quod

si

r) GELASIVS. l. c.

s) SOCRATES. I. 8. II. SOZOM. I. 23. CEDRENVS in hist. comp. edit. Paris. 1647. p. 287.

t) ad locum Socratis.

ſi HIERONYMVM in praef. ad librum Iudith auctorem ſequi placet, librum illum in ſacrorum librorum numero habuit Nicaena Synodus. In cuius auctoritate pater ille equidem acquieuit: nos vero noſtram de Nicaenis decretis ſententiam confirmatam habemus. Quod ſi quis concilium alterum cum altero comparauerit, *ſibimet repugnaſſe inuicem*, ita quisque quam facillime intelliget, vt ab omni partium ſtudio alieniſſimus fuerit. *v)* Si auctoritati auctoritatem opponere vellemus, anteſtaremur virum cum propter ceteras virtutes, tum candidiſſimum veri amorem et venerabilem, et amabilem, LVTHERVM, cuius haud magna fuit de conciliis opinio. Vt vero tandem longiori huic de conciliis diſputationi finem faciamus, *magnum* illorum velint, quorum pleraque tamen reiecta ſunt, *numerum* contemplentur rogamus. Cur ergo non omnibus eadem auctoritas? cum plura vſurparint illud: *viſum eſt Spiritui Sancto:* quare hunc pauciſſimis praefuiſſe credunt? ſaniores equidem, hoc ex decretis et dogmatibus conſtare, dicunt: ex quo autem perſpicuum eſt, Conciliis nullam eſſe habendam fidem, niſi de rebus iſtis, quas praecipiunt, aliae eaeque certiores rationes adferantur. Quum igitur clericorum tradita extra concilium praecepta, iis, quae in conciliis dantur, minora ſint, ſe etiam er-

G randi

v) CALVINVS Inſt. L. IV. c. IX. §. 9. SALMON de l' etude des Conciles. p. 188.

randi periculo ſine ſumma iniquitate eximere nequeant, auctoritas vero conciliorum ſita ſit in teſtimonio priuato de vera, quam ſtabiliunt, doctrina, nos quidem quam confidentiſſime docemus, latarum ab hominibus in conciliis legum nullam auctoritatem, eas potius quam diligentiſſime examinandas eſſe, atque quamquam priuilegiis, iuribus, minis et exſecrationibus muniantur, ſine ſcelere poſſe, conſcioque integritatis ſane animo repudiari. PICTETVS equidem *x)* legitima concilia eſſe cenſet, quae conuocantur ab iis, qui habent ius conuocandi, ad quod viri pii in nomine IESV conueniunt, et in quo omnia ex verbo diuino diiudicantur: abi, et quaere legitimum. Quodcumque dederis, alterum ex illis defuiſſe, facili negotio probabitur. Non ob grauiſſimas itaque, propter quas omnibus hominibus in rebus diuinis fides deneganda eſt, rationes ſolum, verum etiam ſaeculum, quo habendorum conciliorum inductus mos eſt, aſſeſſorum ignorantiam, dominandi cupidinem, vitiaque alia, occaſiones conciliorum vanas ſaepe, nonnumquam etiam improbas, excitatos in iſtis iudiciis tumultus, aduerſa ſanctae veritati decreta, multitudinem etiam conuentuum, et quia nullus fuerit, in quo non inſederit macula, conciliis omnibus, quaecumque demum fuerint, in rebus ad religionem pertinentibus fidem nullam adhibemus. De quorum

x) In Theol. Chriſt. L. XIV. c. 32.

quorum conuentuum, et vniuersae fidei humanae fructibus disputabitur, postquam de symbolis, librisque eo consilio scriptis, vt aliis instar legum fidei sint, sententiam libere proposuerimus.

LIBER TERTIVS

CAP. I.

LIBRI SYMBOLICI admodum vtiles, quin necessarii etiam sunt, quando fidei et doctrinae ratio publice reddenda, aut sinistrae suspiciones, apertaeque calumniae remouendae sunt. Summa eorum erat necessitas, quum maiores nostri excusso iugo Romano, fractisque tyrannicae hominum fidei vinculis sanctae puritati studerent, vt integritas doctrinae, eiusque cum sacris litteris consensus monstraretur. Felicissimi adeo fuerunt AVGVSTANAE CONFESSIONIS fructus, ex qua multi didicerunt, quanta sit Romanae ecclesiae superstitio: hodieque Catechismorum, quorum vtinam liberalior esset facies, ea est vtilitas, vt pueri hominesque litterarum expertes, quorum scientia neminem non iuuat, ea in promtu habeant. Magni itaque libros istos facimus: illis vero nullam habemus fidem, nisi QVATENVS concordant cum S. Scriptura. Eos itaque fidei normam esse negamus: quia omnes, qui

hac regula sanctam fidem iudicant, in sacra oracula iniuriam facere existimamus. Quam sententiam ne temere pronuntiasse videamur, pondera quaeso, argumentandi, quam sequimur, rationem. Symbolorum auctores homines fuerunt erroribus obnoxii, qui in rebus ad fidem pertinentibus praeter Scripturam sapere non potuerunt. SYMBOLI NICAENI auctorem multi faciunt HOSIVM. Quare SVLPICIVS SEVERVS illo auctore Nicaenam Synodum confectam haberi ait. y) ATHANASIVS: οὗτος (Ὅσιος) την ἐν Νικαια πιςιν ἐξεθετο. z) Quod quidem nonnulli ita intelligunt, vt exaratum ab alio scriptore librum in ordinem redegisse HOSIVM putent. Alii, in quibus sunt VALLA et SANDIVS, ex EPIPHANIO a) MARCELLVM ANCYRANVM symboli conditorem fuisse colligunt. Quod quidem mirabile vtique esset, propterea quod Marcellus haereticus fuisse fertur. b) Sunt etiam, qui ATHANASIVM, qui HERMOGENEM NEOCAESARIENSEM symboli illius auctorem faciant. Quisquis illud vero condiderit, non tamen

y) l. c. II. 40.
z) In epist. ad solit. vit. agentens. p. 648.
a) haeres. LXXII.
b) CAVE hist. litt. Allobrog. 1720. p. 127. BARONIVS l. c. T. IV. p. 236. Ann. 371. DVPINIVS l. c. T. II. p. 107. Semler. H. E. T. I. p. 158. Scriptorumque antiquorum doctissimi ac sanctissimi teste PETAVIO Theol. Dogm. T. II. L. I c. 13.

tamen erit credo purioribus sacris addictus homo, qui temerarius adeo sit, vt auctorem inflatum diuinum habuisse adfirmet, symbolum humani ingenii opus esse neget. Quinimmo illustria in hoc symbolo extant humanae imbecillitatis documenta. Quod enim mutari, mutilari, in eo scilicet quod caput rei est, et adaugeri potest, non potest esse diuinum. In aliis exemplaribus vox ὁμοούσιος legitur, in aliis non legitur. Constantinopoli symbolum adauctum est. *c*) Auctor esse dicitur GREGORIVS NYSSENVS. *d*) In Hispaniis saeculo sexto, in Gallia non ante octauum addita verba sunt: FILIOQVE. maiorem nacta formula auctoritatem est in synodo Aquisgranensi A. DCCCIX habita, quam probare noluit LEO III. Pontifex Romanus, immo, vt haec verba (FILIOQVE) ex symbolo expungantur, decreuit. Quare NATALI ALEXANDRO hoc additamentum non ante saeculum nonum in ecclesia Romana factum esse videtur. *e*) Qui haec vero facta a catholicis adiectio conciliari possit cum decreto patrum Ephesinorum, qui contra eos, qui symbolo aliquid addituri sint,

G 3 ana-

c) ARNOLD l. c. L. IV. c. 7. §. 21. ATHANASIVS in Epist. ad Iouianum Imp. NICEPH. l. c. L. I. c. 12.

d) Teste NICEPHORO L. XII. c. 13. quem sequitur BARONIVS Ann. CCCLXXXI.

e) l. c. saec. IV. diss. XXXVIII. Conf. etiam PETAVIVS. l. c. T. II. L. 7. c. 2.

anathema pronuntiarunt, nos equidem non videmus. Memorabile est, neque in Nicaeno, neque CPlitano symbolo Macedonianis et Pneumatomachis opposito Spiritum Sanctum vocari DEVM. Quin fuerunt etiam caeteroquin catholici homines, qui Spiritum Sanctum palam aperteque DEVM nominari non sinerent, et qui vocare sic auderent, eis tamquam catholicae fidei inimicis obstreperent. *f*) Esse vero doctrinam Nicaenam a suis adeo defensoribus, qui ad Ariminense Concilium conuenerant, pro ingenii humani foetu habitam, supra demonstrauimus. Quare etiam AVGVSTINVS, neque se Ariminensis concilii, neque, contra quem disputabat, Maximinum Arianum Nicaeni auctoritate detineri ait. *Scripturarum*, inquit, *auctoritatibus, non quorumcunque propriis, sed vtrisque communibus testibus, res cum re, caussa cum caussa, ratio cum ratione certet.* CALVINVS formulam DEVM DE DEO duram appellat. *g*) SYMBOLVM CHALCEDONENSE cusum est ex epistola LEONIS, *h*) quem Θεοπνευστον fuisse non facile quisquam adfirmauerit. Quod ATHANASIO adscribi solet, eo minus diuinum vocari poterit, quum disceptent adhuc, vtrum Athanasii, an in-

f) Conf. PETAVIVS. l. c. T. II. L. I. c. XIV. §. 19. 20. 21.

g) Conf. CALVINI tractatus theol. omnes. Gen. 597. p. 780. 794.

h) EVAGRIVS l. c. L. II. 4. 18.

inferioris aetatis foetus ſit. Quod ſi iſti etiam vindicari poſſet, nec eruditione eius, nec pietate, ſi vtraque intaminatis fulgeret honoribus, maior ſymbolo auctoritas adderetur. Multo igitur minus recentiorum ſymbolorum auctores inſolitis donis et muneribus vſi ſunt, qui errarunt ſaepe, et pro modeſtia ſua, quam vtinam imitarentur ſacrae doctrinae doctores omnes, ſe errare non poſſe negarunt. At inexcuſabilis eorum videtur eſſe temeritas, qui MELANCHTHONEM, cum ſcriberet Auguſtanam Confeſſionem, formulaeque concordiae auctores Θεοπνευςους fuiſſe adfirmant. *i*) Vtrum vero in his libris humanae vanitatis veſtigia extent, et in formulae concordiae praefatione, quod vult THOMASIVS, *l*) aperte ſtabiliatur fides carbonaria, Laici omnes pro truncis habean-

 tur

i) Vid. (GOTTFR. LESZ) *Ehre der Bekenntniſzbücher etc. etc.* Leipz. 1758. p. 15. 16. 20. et ARNOLDVS. l. c. L. XVI. C. XVIII. §. 3. 18. 32. Nec non diſſertatio de libris ſymbolicis, quae eſt in eleganti Diario Berolinenſi: *Vermiſchte Abhandlungen und Vrtheile über das neuſte in der Gelehrſ.* 1756. T. I. P. I. 68. cuius auctor citat wittenbergiſche Kirchenordn. Gedr. durch Hans Luft. 1559. in Quarto p. 9. Wie ſoll man Gott erkennen? Antw. wie er ſich ſelbſt gnädiglich offenbaret, und ſeine Offenbarung in der Propheten und Apoſtel Schriften, und in die SYMBOLA gefaſſet hat.

l) de iure principis circa haereticos in opp.

tur et ſtipitibus, diſquirere noſtrum non eſt. Sunt quidem, qui dicant, eruditiſſimos ac religioſiſſimos theologos ſymbolorum debere eſſe auctores. Quibus quae reſpondeamus, in promtu ſunt. Non de eo, quod fieri poteſt et debet, ſed quod factum eſt, diſputatur. Viri docti, qui nomine et munere theologorum carent, ſacrarum litterarum vero ſtudio delectantur, et in cognoſcendis iis, quae ad religionem pertinent, aſſiduam eamque liberalem operam ponunt, acutius ſaepe vident, partium certe minus ſunt ſtudioſi. Dictu perquam difficile eſt, quis ſit eruditiſſimus tam in eodem, quam diuerſo litterarum genere. Eruditiſſimus ſectae ad anilem ſuperſtitionem vsque addictus eſſe poteſt, vir ſcilicet plurimarum linguarum, artium, hiſtoriarum ceteris vel aetatis ſuae vel ciuitatis peritior, aſt liberalis philoſophiae expers. Neque eruditio errores, neque pietas defendit. Conſulite praeteritorum temporum monumenta, et quo ingenio, eruditione, mente ac conſilio, moribusque plurimi fuerint ſymbolorum auctores videte. Et haec quidem de illis. Vt autem plerique libris iſtis humanis firmiter inhaerent, eosque et leges ſacrorum faciunt, iisque armorum inſtar vtuntur, quibus quilibet debelletur diſſenſus: ita nec deſunt grauiſſimi viri, qui longe aliter ſentiant. De LVTHERO ante diximus: quem in vtroque Proteſtantium coetu ſecuti ſunt viri laude ſua non defraudandi, qui neminem

minem pro ſchiſmatico habendum eſſe putarunt, ſi a conſuetis formulis ſymboliſque receſſerit, neque ſi eccleſia expulſus fuerit, eos potius, qui hunc eieciſſent, ſchiſmaticos eſſe. THOMASIVS pro ea, qua eminebat ſuper ſeruile genus animi integritate: *praeter rationem*, inquit, *et S. Scripturam nullum alium libellum admitto, minime vero omnium a clero confectum, et conſcientiis laicorum obtruſum. Volo iure vti, quo Lutherus vſus eſt, quod non poteſt denegari vlli homini. Symbola et libros ſymbolicos, qua confeſſiones ſunt eorum, qui confecerunt, non odi, ſed qua normae eſſe debent conſcientiarum aliarum, et iudices controuerſiarum, omnes non odi quidem, ſed horreo, et ſi opus eſt, ad iuramentum perhorreſcentiae me offero. m)* Quibus ergo, ſi ſymbolorum magna adeo eſt auctoritas, vſus eſt PAVLLVS? Quare apoſtoli nullam formulam condiderunt? Quare ne diuinus quidem ſalutis noſtrae reparator? haec nouitas ſuſpecta eſt, quod viri a feliciſſimo ſaeculo, quo longe maioribus donis homines ornabantur, longius remoti leges condere coeperunt, auctores eccleſiarum, Apoſtoli diuinitus eruditi id auſi non ſint. Prima etiam repurgatae eccleſiae aetate librorum ſymbolicorum nulla fuit auctoritas, ſed aliis ſcriptis humanis pares habiti ſunt: Niſi omnia, oculique ipſi nos fallunt, idem volunt, quorum auctoritatem tuentur, libri ſym-

 bo-

m) l. c.

bolici. n) *Credimus, confitemur et docemus VNICAM regulam et normam, secundum quam OMNIA DOGMATA, OMNESQVE DOCTORES aestimari et iudicari oporteat, nullam OMNINO aliam esse, quam PROPHETICA et APOSTOLICA scripta cum Veteris tum Noui Testamenti* — — — — *Reliqua vero siue PATRVM, siue NEOTERICORVM scripta, quorumque veniant nomine, S. Litteris NEQVAQVAM sunt aequiparanda, sed vniuersa illis, ita subiicienda, vt alia ratione non recipiantur, nisi TESTIVM, loco* — — — Si tandem *multitudinem* istorum librorum intueris, facile vides, omnem illorum auctoritatem aut pendere a praeuia eaque seria inuestigatione, et eam itaque omnino imminui, aut a placitis decretisque theologorum, quod summe vtique tyrannis est. Quanta sit symbolorum varietas, qui nunc haec, nunc illa coetibus obtrusa sint, disputare nihil attinet. Nemo est, qui non videat, se, si velit ratione vti, ex libris symbolicis, quaenam ecclesia ad veritatem proxime accedat, cum vnaquaeque suorum symbolorum auctores summis laudibus efferat, diiudicare non posse: nisi forte dicas, quemlibet oportere id symbolum se-

qui,

n) Epit. Art. de quibus controuersiae ortae sunt -- -- -- Conf. etiam HENR. MVHLII diss. de eo, quod iustum est circa religionem, et libros symbolicos. Kilonii. 1713. edita.

qui, quod in patria aut gente ſua legis vim obtinuit, vt itaque Saxo Formulam Concordiae, Batauus Leges Dordracenas, Conſenſum ſuum Heluetus tamquam optimam fidei normum accipiat, quamquam fieri non poteſt, quin hoc vel illud ſymbolum a vero non abhorreat. Vere equidem Sophronius Pompeiopolis Paphlagoniae vrbis epiſcopus in concilio Seleuciano: εἰ τὸ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἰδίαν ἐκτίθεσθαι βούλησιν, πίστεως ὑπάρχει ἔκθεσις, ἐπιλείψει ἡμᾶς ἡ τῆς ἀληθείας ἀκρίβεια. *o)* Nec poſſumus, quin transſcribamus etiam verba HILARII, vt intelligant, quam ſententiam de iſta re ab antiquis inde temporibus habuerint viri liberali ſenſu praediti. — — *Poſt Nicaenam ſynodum*, inquit, *nihil aliud, quam fidem ſcribimus; dum in verbis pugna eſt; dum de nouitatibus quaeſtio eſt; dum de ambiguis, dum de auctoritatibus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt; dum in conſenſu difficultas eſt; dumque alter alteri anathema eſſe coepit, prope iam nemo eſt Chriſti. Proximi anni fides quid immutationis habet? primum decretum* ὁμοούσιον *decernit taceri; ſequens rurſus* ὁμοούσιον *decernit et praedicat; tertium* οὐσίαν *ſimpliciter a patribus praeſumtam per indulgentiam excuſat; quartum non excuſat, ſed comdemnat. Tandem eo proceſſum eſt, vt neque penes nos, neque penes quemquam ante nos, ſanctum exinde aliquid atque inviolabile perſeueret. Annuas atque menſtruas de DEO fides decer-*

o) SOCRATES II. 40. SOZOM. IV. 22.

cernimus, decretis poenitemus, poenitentes defendimus, defensos anathematizamus, aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus, et mordentes inuicem iam absumti sumus — — — cum semel nouas professiones fidei conficere coeperunt, facta est fides temporum potius, quam euangeliorum. Admodum miserabile est, nouas fidei formulas singulis annis confici. Tot nunc fides sunt, quot voluntates. p) Salutarius itaque fuisset ecclesiae repurgatae, si a multiplicandis symbolis abstinuisset, ac in Augustana acquieuisset Confessione. Quod eo facilius potuisset effici, quum confessio ista non transferretur modo in permultas linguas, et de fide Protestantium inter omnes gentes constaret *q)*; verum illi vel CALVINVS ipse sub-

p) Conf AB. BVCHOLCERVS in Chronologia p. 649. scriptoribus H. E. a Grynaeo editis adiect. ARNOLDVS l. c. L IV. c. 8. §. 10. L. XVI. c 20. §. 9. Mirabitur forte quispiam, me iterum et saepius Arnoldum auctorem sequi: scito vero, me testimonia eius, quem saepius in insigni errore deprehendi, minime recepisse oraculorum instar, sed haec etiam diligentius ponderasse. Quisquis es, noli Arnoldo credere, infirma fidem testium, quos adfert, aut fidem historicam caussae tuae patrocinaturus omnem tolle. Verum de Arnoldi H. E. iudicium vide in WEISMANNI H. E. p. 43. 44.

q) Conf. ESTOR. in delin. Iur. Publ. Eccles. Protest. exhibente iura et benef. Aug. Conf. c. l. §. 6. p. 7. CAROLI GOTTH. MÜLLERI Oratio, quae memoria relig. form. in Aug. Imperii consessu 1330 recit.

ſubſcripſerit. *Ego ſi quis alius*, inquit *r)*, *veram et ſinceram conſenſionem expeto, quam modo DEVS ipſe verbo ſuo ſanciat: nec vero* AVGVSTANAM CONFESSIONEM *repudio, cui pridem ſciens ac lubens ſubſcripſi, ſicuti eam auctor ipſe interpretatus eſt.* Eſt etiam confeſſio corpori ſymbolorum Reformatorum Geneuae MDLI edito, cuius rubrum eſt: *Harmonia confeſſionum fidei orthodoxarum*, addita. Quod iusiurandum religionis, et ſubſcriptionem librorum ſymbolicorum attinet, ne falcem alienae meſſi immittere videamur, id ſilentio lubenter praeterimus. Iuris doctores hanc ſibi quaeſtionem vindicant. Quis eſt, qui diſputare velit cum viro, qui imperioſa voce — — *ex quo*, inquit, *conſequum ſit, principem recte ac propitio iure poſtulare, vt Libris Symbolicis ciues, ac paſtores eccleſiae inprimis, ſubſcribant hac formula: QVIA cum S. Scriptura conueniunt et DAMNARE illos, qui hoc modo QVATENVS conueniunt, eos aſſumendos eſſe ſtatuunt. Licet enim non audeam adfirmare Auguſtanam Confeſſionem*

recit. renov. Ienae 1758. CHRIST. HENR. HASII Comm. de lingua Carnorum et Illyr. Slauonica inpr. de Aug. Conf. verſione eadem dialecto exarata. ibid. 1759. aliique ſcriptores.

r) Ep. CCXXXVI. Martino Scarligio Eccl. Ratisb. Paſt. - - In eandem ſententiam loquuntur IO. STVRMIVS in Ep. ad Frid. Princ. inter ep. Calvini CCCIV. et HIERON. ZANCHIVS miſcel. tr. de coena Domini confeſſ. ad Magiſtr.

sionem esse normam fidei, sed NORMATVM dici debere existimem: Θεοπνευστίαν *tamen MEDIATAM ipsi recte adscribi putem. Ex quo fit, vt videamus Arnoldum — — — aliosque huius surfuris DELIROS censores, et Augustanae Confessionis sciolos obtrectatores — — — sed exclusi hi vivant a beneficiis, quae leges imperii statuunt Augustanae Confessioni. Ne conquerantur, si suo sensu abundantes eiiciantur ex imperio: sed cogitent potius, se Pseudomartyrum augere numerum. s)* Quae ex hac sententia confici possint, nos vero nunc equidem conficere nolumus, ita quisque facillime intelliget, vt candidissimus veri cultor fuerit. Vtrum subscriptionis, et iurisiurandi excusatio adferri, quo animo vtrumque fieri ab honesto viro possit, quando orta sit haec consuetudo, quas ob caussas introducta, quo consilio Augustanam Confessionem subscripserint Germaniae principes, qua re hunc morem non habuerint antiqui Christiani, qui religionis doctores, vt id doceant, iureiurando teneri possint, ad quod auditores credendum nulla lege coguntur, vtrum in errores etiam, qui sunt in libris symbolicis *t)*, iurandum sit, videant alii *v)* Id quidem dubio caret, Symbolum Apostoli-

s) ESTOR. l. c. c. IX §. 18. p. 124.

t) Conf. ARNOLDVS l. c. L. XVI. c. 18. §. 9. LESZ l. c. p. 19.

v) *Vid.* KÖLBELE *von der Zulässigkeit der Eide.* Frf. 1767

ſtolicum ab omnibus aſſumi Chriſtianis, ad quod aſſumendum nulla vi coguntur: e contrario vero neque ſplendida ceterorum ſymbolorum beneficia, neque vim ac auctoritatem miniſtrorum, neque regum magiſtratuumque de ſeruandis ſymbolis edicta, neque demum acutae illae ſatisque doctae de ſymbolorum ſanctitatae diſputationes potuiſſe Chriſtianos omnes ad concordiam reuocare.

LIBER TERTIVS

CAP. II.

Facile equidem praeuidemus, quam impios et profanos, vel religioni ipſi inimiciſſimos nos eſſe, clamitaturi ſint. In ſuperſtitionis enim penetralia irruere, et myſteria humanae fidei, quae vt in Capitolio Ioui vicina eſſe creditur, aperire impune vix licet. Tantum autem nos cepit veritatis amor, vt iniurias non extimeſcamus, rationes vero, ſi quas attulerint, nos non neglecturos, verum ſi meliora edocti fuerimus, errorem confeſſuros eſſe, bona fide pol-

1767. Diligentior longe atque acutior ſcriptio eſt: Verſuch über wichtige Warheiten zur Glückſeligkeit der Menſchen von einem redlichgeſinnten Schweitzer. prim. 1766. deinde 1768. edita. Prima editio a Magiſtratu Bernenſi ſuppreſſa, auctor HERBORTVS Bernenſium a concionibus ſacris, ſenex octogenarius in carcerem coniectus eſt.

polliceamur. Dicunt, *in fide humana multa esse, quae bona sint:* quod quidem, quia nulla res abiecta adeo atque turpis est, vt nihil prorsus boni in se contineat, non negamus; ast de hoc in praesenti caussa non quaeritur. Neque nos dogmata Conciliorum et Symbolorum nunc equidem impugnamus, sed humanam, in qua nituntur, auctoritatem. Nostrum esse putamus, vt diuini Redemtoris mansuetudinem, amorem inimicorum errantium tolerationem imitemur: de sanctitate huius officii autem, nos neque Concilii cuiusdam, neque Symboli, neque Excellentissimi Doctoris auctoritas certos reddidit. *Neque nos*, inquiunt, *caeca fide dogmata tenemus*, sed omnia ponderamus sacri codicis lance, et quae Concilia et Symbola huic consentanea constituunt, ista assumimus. Recte quidem sacros libros, et liberalem sanae rationis vsum fontes esse dicitis, e quibus haurienda sit sancta veritas: quae vero Conciliorum ergo humanarumque Constitutionum auctoritas est? Superuacua sunt opera, quae sancte tuemini, et legum loco ponitis: nisi enim concordant cum S. Scriptura, aut si quid continent, quod rectae rationi repugnet, assumi non possunt. Librorum igitur cuiusuis generis, quin haereticorum etiam qui neque Oraculis Diuinis, neque doctrinae, de cuius veritate aliunde certius constat, repugnant, eadem, quae Symbolorum vestrorum, auctoritas erit. Probe scimus

mus, quae his opponere ſolent puritatis, quam vocant, anxie ſtudioſi homines. *Hae*, inquiunt, *latebrae haereticorum ſunt*, qui neglectis patrum et doctorum conſtitutionibus, ſub S. Scripturae velo ſe abſcondere volunt. Ni omnia nos fallunt, haec ea omnino ſententia eſt, quam in commonitorio ſuo pro fidei catholicae antiquitate, et aduerſus profanas omnium haereſium nouitates docuit famoſus ille Pontificiorum anteſignanus VINCENTIVS LIRINENSIS. Ille vero: *qui in fide recta*, inquit, *vult permanere integer atque ſanus, munire eam duobus modis debet, diuinae legis auctoritate*, eccleſiae catholicae traditione — — *quia ſcripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt; ſed eiusdem eloquentia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; vt paene quot homines ſunt, tot illinc ſententiae erui poſſe videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouianus, Pelagius, Caeleſtinus, aliter poſtremo Neſtorius. Et idcirco multum neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, vt propheticae et apoſtolicae interpretationis lineae ſecundum eccleſiaſtici et catholici ſenſus normam dirigantur* — — In quam ſententiam paullo diligentius inquirere placet: audite ergo, haereſium atrociores quam flagitiorum inſectatores, quam male rationes ve-

ſtras ſubduxeritis. Quod ſi haereſes et impiae opiniones praeſidium in ſacris litteris inueniunt, neque refutari poſſunt; niſi conſtituantur decreta humana, quaero ex vobis, quae de ſacrarum litterarum *perſpicuitate* animo ſententia ſedeat. Proteſtantes equidem de eo conueniunt, dogmata ad ſalutem maxime facientia ea claritate a ſacris ſcriptoribus tradi, vt ea nemo non facili negotio diſcere poſſit; ſolent etiam haereticum vocare, qui in articulis, quos vocant, fundamentalibus errat: ex veſtra igitur ſententia rite efficitur, haereticorum errores non eſſe fundamentales, aut maximas res atque grauiſſimas in ſacris libris obſcurius doceri. Alterutrum vobis ſtatuendum eſſe, certum eſt: vtrum vero ſequi placuerit, vos male concluſiſſe, propriisque repugnare placitis, ſole clarius eſt. Dolemus vicem veſtram, qui ex hominum libris religionem veſtram melius defendi poſſe exiſtimatis, quam ex libris ſacris, ſecuti exemplum Pontificii in comitiis Auguſtanis, qui ſe etiam LVTHERVM ex patribus, non autem ex Scripturis refutare poſſe fatebatur. In vos igitur vere accidit, quod reſpondit illi homini Dux Bauaricus: *veſtri aduerſarii Scripturis inhaerent, vos eſtis ab ea alieni.* Prorſus autem neſcimus, quid velint, qui quidem Symbolorum auctoritatem cum magno eruditionis apparatu, altaque, minaci interdum voce defendunt, ſolos tamen articulos fundamentales in

Sym-

Symbolis traditos, minime vero illorum explicationes et probationes accipi debere docent. Quod ſi ergo ne in definiendis quidem, et demonſtrandis dogmatibus Symbolis habenda fides eſt: qui poterunt articuli iſti fundamenti loco ponendi tutius absque omni probationum praeſidio aſſumi? quanta ſunt inter theologos de fundamentalium articulorum natura, diſcrimine, numero diſſidia? articuli aliis ſunt fundamentales, qui aliis minime ſunt; vt itaque nec iurata ſubſcriptione pariatur conſenſus, ſiquidem ſe quilibet in fundamentales articulos, qui ſibi eſſe videantur, non vero in ceteros iuraſſe, et de his igitur, quidquid libuerit, ſentire ſe poſſe opinabitur. Articulos iſtos quidem Scripturae verbis definiri aiunt: quid igitur opus eſt Symbolis, cum id, in quo cardo rei verſatur, totidem verbis in S. Scripturis extet, cetera vero fidem non mereantur. Aſt nunquam legerit celebratiſſima Symbola, qui in illis articulos, quos fundamentales, eosque primi quidem ordinis eſſe volunt, non Scripturarum, ſed humanis verbis deſcriptos eſſe neſciat. Quot erunt fundamentales, ſi ſolis Scripturae verbis inhaerendum, humana vero negligenda ſunt? Nonne hoc pacto Symbolum vnumquodque bono animo ſubſcribere Chriſtianus poterit? quod tamen hominum, qui ſymbola condiderunt, conſiliis maxime repugnat. Quaerimus etiam: vtrum ſcripta veſtra humana detorqueri ne-

queant? Recte quidem dicitis, esse dogmata *limitata*, *restricta*, terminisque scholasticis tamquam carceribus et vinculis inclusa: haec vero expositio, an a Deo profecta, an ab hominibus est? Postremum si negare nefas est, sinete stet quisque suo iudicio, hominisque iura teneat, alias occupatis tyrannidem, et in DEI iura inuolatis. Quamquam etiam humana arte ad doctorum ingenia et consilium sit in libris vestris detorta sacra doctrina: hoc tamen non obstat, quin Symbolorum interpretes a se dissentiant ipsi. Addimus, Concilia et Symbola erroribus non fecisse finem. Non dubitamus, fore multos in vtroque Protestantium coetu, qui errore, cuius Nestorium accusare solent, imbuti sint; vt etiam in hoc de S. coena, in illo de decretis multi longe aliter sentiunt, quam Libri Symbolici ecclesiae, cui se socios publice adiungunt, aut omnes praescribunt, aut plurimi. Neque fieri potest, vt quilibet Christianus Conciliorum Symbolorumque decreta sequi teneatur, propterea quod verum eorum sensum assequi non potest homo litterarum expers. Quam inania igitur et peruersa sunt hominum conamina, qui alios cruciant, alios eandem sententiam secutos tolerant, immo eorum sunt incuriosi? Verum haec vtique non ex dissensu, sed periculo, quod humanae auctoritati imminet, diiudicantur. Fallatur indoctum vulgus, nil inde mali: vbi vero theologus aut philosophus

phus dubitauerit modo, fumma religionis periclitari creditur, profanus efto. Neque diffenfus ifte, qui Conciliis et Symbolis non tollitur, femper periculofus adeo eft, vt tolli omnino debeat, neque femper poteft. Vt enim nullae res ex omni parte confentiunt: ita etiam opiniones hominum non poffunt non ex aliqua faltem parte a fe inuicem diffidere. Huc faciunt ingenia non eadem omnibus data, locus natiuitatis et tempus, parentum et praeceptorum conditio, ftudiorum et fociorum diuerfitas. Quae fi diligentius paullo tecum expenderis, opinionum concordiam his in terris falua tamen humanae focietatis felicitate fruftra exfpectari videbis. Vt in antiqua Graecia Philofophi Pythagorici, Epicurei, Stoici, Platonici, Peripatetici, Cynici fuerunt, et patriam fuam non turbarunt, quam philofophorum modeftiam apud Alexandrum et Arium tefte SOCRATE laudauit Conftantinus *); fic etiam in facra ciuitate diffenfus poteft et debet tolerari absque publicae et communis falutis periculo, in primaeua etiam eaque puriffima ecclefia toleratus eft. Quin etiam ecclefia Romana, licet eius fectae et ordines non in rebus minoris momenti folum, fed etiam grauiffimis, et in eo, quod caput haerefeos eft, Pontificis auctoritate mirum quantum a fe diffideant inuicem, mole tamen fe tenuit fua, et fortuna longe fplendidiori vtitur.

 Quod

*) l. c. L. I. c. 7.

Quod si tandem haeretici S. Litteras in vsus suos conuertunt, hae ideo non abrogandae, neque earum in locum nouae auctoritates substituendae sunt. Quamuis diabolus Scripturas creparet, non desiit tamen iisdem armis hostem debellare sanctissimus religionis auctor. Si omnia arma, quibus vtuntur aduersarii abiicienda sunt, abiice etiam rationem et te pecorum gregi adiunge: infensissimi enim et pertinacissimi diuinae veritatis hostes ratione gloriantur.

LIBRI TERTII

CAP. III.

QVVM argumentum pro symbolorum auctoritate *ab ecclesiae iure factisque cum ministris pactionibus* repetitum vrgeri nostris diebus in primis solet, a theologis etiam tam veritatis quam pacis studiosissimis caute licet et cum laudabili circumspectione adhiberi, ab aliis vero augeri adeo et amplificari, vt si horum consilio obtemperandum esset, redirent ferrea illa saecula, quibus, vbicumque fuerit improbus religiosae puritatis custos, qui haereseos aliis notam iniurere pro impudentia sua voluerit, scelestissimorum hominum instar habendi, conuiciis poenisque fatigandi essent acutissimi atque integerrimi theologi: rem illam ob horum improba consilia, illorum vero auctoritatem, quam diligenter,

genter, breuiter tamen, ne lectori verbositate nostra molestiam creemus, ponderare constituimus, dicta, si quis nos meliora docuerit, retractare parati. Vnamquamque videlicet ecclesiam, propterea quod societas est, iure suo dicunt ponere conditiones ab iis, qui sacrorum priuilegiorum participes esse volunt, sancte seruandas, et inter Christianos et doctores intercedere pacta: illas vero conditiones poni in Symbolis, et ad haec pacta referri. Salua res esset, si cum ecclesia coniunctio ex hominum arbitrio, non ex officii sanctitate penderet, neque a DEO, sed ab hominibus instituta esset, ecclesia igitur a ceteris societatibus, quam suo quisque iudicio inire et conciliare potest, prorsus non differret. Vt vero in omni societate non naturalium modo, sed ciuilium etiam legum ratio habenda est, si alias legitima esse velit: ita multo minus sancto euangelio aduersari debet ecclesiastica institutio. Conditiones, quibus homines coetui sacro addendi sunt, non sitae sunt in potestate mortalium. Num tu communione tua eiicies, quem olim in beatorum sedem recipiet DEVS? Quid igitur opus est tuis conditionibus, cum illae diuinae, neque tuae voluntati, neque mutationi vlli subiectae sint? de pactis hic etiam minus apte caussa inseritur: in his enim nihil potest constitui, quod pugnet cum lege, et officio maiori. Quod si pactorum, quae fingunt, sancta adeo sunt

 pri-

priuilegia, qui puriorem doctrinam tradere potuerit LVTHERVS, non videmus: neque qui hodie hoc pacto teneantur religionis doctores, qui in articulos modo fundamentales iurarunt. Id quidem perspicuum satis est, cum Laicis quos vocant, quorum plurimi litterarum et philosophiae ignari sunt, maximam adeo symbolorum partem non intelligunt, pactum illud fieri non posse. Vt ecclesiae cuiuslibet non officium modo sed ius etiam esse dicunt prouidendi, vt doctrina, cuius veritas agnita sit, et in hac consensus conseruetur ac propagetur. Non negamus, officio illo teneri ecclesiam, id est, coetum hominum, qui diuinos libros in religionis caussa sequendos esse statuunt: si quid vero videmus, conseruatio ac propagatio illa non ad problemata theologica, nec ad quaestiones philosophicas pertinet. Non enim in his, sed in decretis religio nititur in Sacris Libris aperte traditis, quae illitteratissimus quisque intelligere potest, nisi omnino sit a sano sensu destitutus. Nec in his quidquam aliud, quam officium video, ius non video, nisi quatenus potestatem habet ecclesia postulandi, ne quis se ab exsequendo officio suo remoretur. Minime vero omnium effici potest, ecclesiam habere ius cogendi suos ad consensum doctrinarum, quoad se socios et adiutores, non vero hostes eius fore promittunt. Officium tuum est scribere, habes etiam ius scribendi, quoniam saluis legibus

gibus naturalibus et ciuilibus nemini te turbare licet, ius illud vero neutiquam efficit, vt aliorum ſit, ſcripta tua legere. Eſt officium Chriſtianorum omnium commune, maiorem rerum ſacrarum cognitionem propagare, eorum autem etiam eſt, nullius hominis libertati officere. Neque cognitio illa, vera et ſalutaris (de hac enim loquimur, non de cognitionis ſimulatione) legibus, ſed docendo, commendando, perſuadendo propagatur. Quod ſi excipiantur dogmata in ſacris litteris dilucide atque perſpicue tradita, conſenſus plenus nec neceſſarius eſt, nec exiſtere vllo modo poteſt. Inſtituta eſt eccleſia, vt ad fidem in DEVM et ad aeternam felicitatem perducantur homines: ad quod non opus eſt doctrina, niſi ea, quae in S. litteris aperte extat. Quum eccleſiae *particulares* eo differunt ab *vniuerſali*, quod haec S. Scripturam in rebus fidei ſequendam eſſe ſtatuat, modum vero, quo doctrina ex Scriptura haurienda ſit, non definiat, particulares vero abhorrentes a ſe inuicem doctrinas tradant ſuo iudicio, vt quidem volunt, ex S. Litteris hauſtas; hae quidem ad aſſenſum homines cogendi ius habere nequeunt, quoniam eodem iure vtuntur Chriſtiani omnes. Quod eo quidem certius eſt, propterea quod vniuscuiusque hominis longe pluris intereſt, vniuerſalis eccleſiae, quam particularis membrum eſſe. Non Lutherani olim, Arminiani, Sociniani, ſed Chriſtiani

 aeter-

aeternam felicitatem consequentur. Quod si officium illud non caute satis circumscribitur, quisque tenebitur, o seruilem illam atque abiectissimam sententiam! seruare opiniones ecclesiae particularis, in qua quamuis inscius atque inuitus natus sit. Sit igitur necessarius in fundamentalibus articulis consensus: propter hos vero humani libri symbolica auctoritate muniendi omnino non sunt. Qui enim articulos illos veros esse negat, non particularis, sed vniuersalis ecclesiae socius, id est Christianus esse desinit. Solent equidem e notione rei, siue *a priori* probare velle, sine doctrinae consensu nec sacras orationes, nec publicas preces haberi posse: quo vero ratiocinandi genere nos equidem magnopere moueri non solemus. Cui enim si obstet indubia et communis experientia, hanc sequendam praecipue existimamus. Non in Anglicanis vero coetibus modo, sed in Germanicis etiam, quibus verum DEI cultum exulare non facile quisquam adfirmauerit, publicorum doctorum muneribus funguntur, qui in Sacri Codicis et vniuersorum eius librorum interpretatione a se inuicem dissident, quin in dogmatibus etiam, quae aut alterutra aut vtraque pars fundamentalia esse autumat. Quamquam igitur fieri non potest, quin homines in nulla parte secum consentientes sacra communia non habeant: haec tamen sine pleno consensu vtilia et salutaria esse posse, comprobat etiam vsus sacra-

crarum cantionum, quarum auctores non eandem de omnibus sententiam secuto, esse satis constat. Neque est, cur consensum illum nimio studio vrgeant. Qui igitur probabunt symbola ab tota ecclesia adsensione sua comprobata esse? G. WERNSDORFIVS equidem *v)*, postquam de consensus necessitate disputauit, in condendis symbolis partes Theologis relinquendas esse statuit. Mallemus dixisset, quibus Theologis. Idem officium principis esse statuit, vt ad condendum symbolum conuocet Clericos. Num omnes igitur, aut plurimos, aut aliquos? Sume, quae velis: nisi caeca fides regnare iubeatur, Clerici et Laici multi ex ecclesia eiiciendi erunt. Neque tanti est concordiae studium habendum, vt exsequendo maiori officio obesse debeat. Vt vero scientiarum omnium, ita inprimis religionis doctor, si vir integer et honestus esse velit, in doctrinae, quam tradit, veritatem animo ab omni partium, sectae adeo suae etiam studio alieno inquirere debet. Quod officium nullo pacto, nullo iureiurando, nisi impium et ab honestate alienissimum fuerit, tolli vllo modo potest. Sunt viri docti, moderatione animi et aequitate maxime commendabiles, qui, vt vnaquaeque ecclesia particularis do-

ctrinam

v) In diss. de potestate priucipis circa symbola ciuium in religione ab ipso dissentientium. Viteb. 1711.

ctrinam tamquam veram acceptam litteris mandet, necessarium, hanc scriptionem vero symbolica auctoritate munire, vtile esse opinentur. Hi ergo non necessitatem Symbolorum, sed vtilitatem modo tuentur, nenessitatem vero ad doctrinae scriptionem referunt. Cuius sententiae auctorum et probitatem et perspicaciam laudo proboque: sunt tamen in hac etiam quaedam, quae mihi scrupulum iniiciunt, nec optimos viros dissensum meum male laturos esse spero. Necessitatem scriptionis antiqui Christiani certe non perspexerunt. Ante saeculum quartum, quamquam in plures haereses abierat populus Christianus, ςοιχεια sanctae doctrinae ex Apostolico, vt tum erat, Symbolo Catechumenis tradebantur, quod postquam didicerant ac intellexerant, ad baptismum admissi sunt. Scripsit equidem Catecheses illuminatorum CYRILLVS Archiepiscopus Hierosolymitanus, vir minime ὀρθοδοξωτατος: quae vero tantum abest, vt catechismorum nostrorum aut Symbolorum loco fuissent, vt post praefationem potius lectorem in limine quasi libri moniturus auctor, aut alius quis antiquorum, memorabilia illa verba posuerit: *Catecheses illas illuminatorum accedentibus quidem ad baptismum, et his qui hoc lauacrum habent iam fidelibus, legendas exhibeas: catechumenis vero et aliis, qui non sunt Christiani, ne dederis: alioquin redditurus es Domino rationem.* An vero mystagogicae ge-

genuinae, an spuriae sint, recte dubitatur. Ob hodiernum quidem rerum Christianarum conditionem, et ludimagistrorum ignorantiam; qui pueros praeter id, quod scriptum habent, nihil docere solent, catechismi necessarii sunt. Ast male consultum est sacris rebus, quod hominibus doctrinae omnino expertibus docendam religionem commiserint. Mandant ergo memoriae suae catechismos suos pueruli, neque propter illiberalem disciplinam fieri potest, vt rationes praeceptorum peruideant. Quotumquemque mihi dabis, qui his scholis egressus id didicerit, quod verae religionis caput est, animoque imbiberit sententias fidei in DEVM, et quem hic misit, IESVM CHRISTVM consentaneas, ad quas et consilia sua, et vitam omnem componat? Perutilem igitur scriptionem illam fieri posse, non nego; at omnino et simpliciter necessariam esse non video. Neque commode satis *systematicae* doctrinae caussa interponitur. In sacris libris systematis formam Christiana doctrina non habet. Ex quo ego equidem colligere soleo, methodum systematicam in tradenda religione non omnino esse necessariam, propterea quod DEVS melius nouit, quae ratio communi hominum institutioni conuenientissima sit, quam catechismorum auctores omnes. Neque fas est, maioris cognitionis necessitatem in omnibus Christianis vrgere. Non ex sola cognitione religio aestimanda

manda eſt. Quamquam enim ſine ſcientia, religio nulla eſt, hanc vero illa augere poteſt; homo tamen minori cognitione, ſed maiori pietate praeditus homini, qui ſcientiae quam virtutis ſtudioſior eſt, religione antecellit. Magnus theologus religionis, et religioſiſſimus homo theologicae ſcientiae expers eſſe poteſt. Quod ſi hominum Chriſtianorum, quin maxime etiam piorum plurimi, ſacrorum dogmatum nexum aut perperam, aut parum diſtincte perſpiciant, quod non facile quisquam in dubium vocauerit, niſi in terris noſtris omnino fuerit hoſpes, ex eo colligere fas eſſet, plurimos Chriſtianos, pios etiam religione vacare, cuius iniuriae participes eſſe nolumus. Enimuero habemus ſcripta ſymbola: quot ergo illiteratorum hominum ex his ſyſtematicam ſcientiam hauſerunt? Syſtematum equidem auctores raro ſolent ex S. libris dogmata horumque nexum repetere, ſed plerumque ſyſtemata aut ad arbitrarias ſententias ſuas, aut particularis eccleſie placita condunt, S. litteras vero pro lubitu detorquent, et id probare iubent, quod, antequam conſuluerant ſacros auctores, verum firmumque fore ſtatuerunt. Quod ſi vero etiam demonſtratum eſſet non ad theologicam modo ſcientiam, ſed ad religionem etiam ſyſtematicam cognitionem neceſſariam eſſe: fas tamen eſſet dubitare, an ſcriptio, quae cognitione illa lectores imbuat, ſymbolica auctoritate munienda ſit.

Sunt

Sunt quidem in ſacrorum miniſtris, qui et neceſſariae cognitionis, et verae religionis expertes, nec officiorum ſuorum probe memores ſint, atque dolendum eſt, homines ad nullam fere rem vtiles, nullo merito, neque ingenio, neque moribus, neque ſcientia commendabiles, qui annos aliquot in Academico, eoque ſaepe ſat illiberali otio, deinde vero nonnunquam inter expertes bonarum rerum omnium homines conſumſerunt, ad obeunda ſacra munera adhiberi; quoad vero opinio regnauerit, adminiſtrando ſacro muneri quemuis hominem, eum etiam, qui nec ad dicendum ius, nec ad exercendam mercaturam aptus ſit, parem eſſe, magiſtratus igitur non cogitauerint, munus miniſtrorum graue eſſe et ſanctum, cui nemo digne praeeſſe noſtro praeſertim ſaeculo poſſit, niſi a litteris, rerum humanarum ſcientia, morum et probitate et elegantia inſtructus ſit, malum illud non tolletur, quaecumque etiam cudantur ſymbola. Ingens habemus ſymbolorum corpus, quae cum commentariis et explicationibus ſat magnam bibliothecam efficiunt: ea vero in augendam miniſtrorum ſcientiam et religionem magnam vim habuiſſe, nos equidem fugit. Neque ferendi eſſent miniſtri, qui nec ampliorem religionis, nec liberaliorem ſcientiam haberent, quam ea eſt, quae ex ſymbolicis libris hauritur. Quando vero ſine litterarum adiumentis *S.* Scripturam intelligi non poſſe dicunt:

dicunt: id ſententiae, quam nos equidem de ſacris libris adhuc habuimus, aduerſari ingenue fatemur. Ex eo enim effici poſſe videtur, doctorum modo hominum eſſe, ſacros libros legere, quod quidem ſacris litteris et antiquorum Chriſtianorum conſuetudini repugnat. Quamquam enim ſunt S. Scripturae partes, quae ab illiterato homine intelligi nequeant, theologicam ſcientiam etiam homo philologiae, philoſophiae et hiſtoriarum praeſidio non munitus parare ſibi non poſſit: id tamen, quod ad religionis caput pertinet, perſpicue adeo traditur, vt quisque eius ſenſum facile aſſequatur, ſi a puero modo monitus fuerit, qui libri potiſſimum legendi ſint. Iam dudum optaui, vt faciat quis rei periculum, quam acute finxit quondam CLERICVS, et Noui Foederis libros adoleſcentibus praeclaris ingenio, liberalibusque artibus ac naturali rerum diuinarum ſcientia probe imbutis, ab omnibus vero praeconceptis, quas commendare potuiſſet particularis eccleſiae amor, opinionibus liberis legendos tradat, vt, poſtquam legerint, referant ſenſum, quem de Chriſtiana religione ex S. Scriptura perceperint, quod noſtro equidem iudicio delectabile humani ingenii ſpectaculum eſſet. Viri docti, hominem litterarum expertem multa vera, ſed falſa etiam et abhorrentia ex S. Scriptura collecturum eſſe dicent: ad quae multa reſponderi poſſunt, nos nonnulla paucis expe-

pediemus. Diligens verique amans lector in fundamentalibus rebus, si locum alterum Scripturae cum altero contulerit, non facile errabit: si in ceteris errat, habet hoc cum doctissimis commune. Ast minus et rarius errabit, si fuerit ante liberaliter institutus. Quod si vero se ab omnibus erroribus omnino liberare non potuerit: vel in eo humanae sortis exemplum cognoscemus. Ex symbolis vero num falsa colligi nequeunt? Num post multiplicata symbola infrequentiores facti errores sunt? Ex his nostro quidem iudicio, quoniam eorum multa litterariarum et philosophicarum formularum plena sunt, abhorrentes a vero sententias longe facilius, quam ex Scriptura, indoctus hauriet. Tandem quod caput rei est, vnde sciret, auctorem symboli non errasse, cum eum, nisi Papae instar venerari velit, errare potuisse, dubitare nequeat. Verum: alienum est, inquiunt, si publicorum doctorum in concione alter ante meridiem probet, quod a meridie neget et improbet alter. Quod vero necessario accidere putant, quando cuique ex solis S. litteris doctrinae formam sumere liceat. Vos ergo, quos propter religiosum propagandae sanctae veritatis studium et colo, et, si dicere fas est, diligo, admittetis, vt nemo ministrorum ex solis litteris sacris doctrinam suam petat, vel aliqui non petant, atque in humana caecaque fide acquiescant? Quod

 ego

ego mihi equidem perſuadere nolo: at ne-ſcio, qui factum ſit, vt ſibi olim non con-tradixerint; an poſt condita ſymbola ſibi non contradicant; an nulla omnino contra-dictio ferenda ſit; vtrum veriſſimae et gra-uiſſimae contradictiones ex legendis S. Lit-teris, an ex theologorum diſputationibus et philoſophia theologica oriantur? Quando vero ſymbolicos libros, quos habemus, o-mnes incommodos eſſe adfirmant ipſi: aliis tamen, atque ita, vt ſalua S. Scripturae au-ctoritate conſcientiaeque libertate deſideriis noſtris ſatisfiat, condi poſſe opinantur: ex vi-ris doctis, vt cetera mittam, haec modo quaero: quis ſymbola illa condet? quis vo-bis, per fidem veſtram vos obteſtor, per-ſuadebit, vos non poſſe ſine impietate ab auctoris ſymboli ſententia recedere? quem ſeruandae ſymbolicae legis cuſtodem conſti-tuetis? — — Concionatoribus, quo-rum plurimi litterarum expertes ſunt, nul-lam doctrinae formam praeſcribere nobis periculi plenum opus eſſe olim ipſis viſum eſt; poſtquam vero ſexcentos, qui ſymbo-licis libris obedientiam omnes promiſe-rant, eosque, vt hoc quidem a praece-ptoribus ſuis acceperant, ſancte ſeruan-dos eſſe, ſtatuebant, quidquid in buccam venerat, effutientes audiuimus: nec hoc malum ſymbolorum beneficio tolli, non per-ſuaſimus nobis, ſed vidimus. Vellemus

vero

vero, omnibus ſacrorum miniſtris decretum illud Synodi Pinczovienſis praeciperetur, vt a proferendis in concionem controuerſiis, doctioribusque ac difficilioribus quaeſtionibus abſtinerent. Quod hunc vſum allaturum eſſet, vt in contradictiones, de quibus ſupra dictum eſt, non facile inciderent. Neque verendum eſt, ne ſacri oratores non habituri ſint, de quo publice dicant. Dogmata enim in S Scriptura perſpicue tradita, tanta quanta eſt regendorum morum vitaeque inſtituendae ſcientia, hiſtoria ſacra atque naturalis religio populariter et ad augendum pietatis ſenſum accommodate dicturis ampliſſimam materiam praebebunt. Verum haec hactenus: reſtat, vt ex hiſtoria perſequamur fructus ſymbolicae fidei, quam HVMANAM vocare fas fuit, propterea quod patres ad concilia coacti ſymbolorumque auctores non aliam, quam ceteri homines, naturam habuerunt.



LIBER QVARTVS.

CAP. I.

Qvod si quos de conciliorum, latarumque in his legum vsu disputantes audire placet, magna erunt, quae Concilia et Symbola rei sacrae attulerunt, emolumenta: verum res factas consideremus, dialecticorum enim more a principiis rem repetere, et quid fieri possit, disquirere, ad rem praesentem nil facit. Certiorem redditam fidem securitati sacrae ciuitatis et sanctitati consultum, pacem restitutam esse, demonstrent velim, qui conciliorum praestantiam summis efferre laudibus solent. Certissimos nos reddunt istorum saeculorum, quae supersunt, monumenta, non pacem, sed acerbiores lites tristioraque dissidia post acta concilia exorta esse, quam ante eorum congregationem fuerant. SVLPICIVS SEVERVS x) — — *igitur frequentibus conciliis nihil actum, nostris in fide manentibus, illis de perfidia non cedentibus — — — hoc vero modo concilium dimissum, bono initio, foedo exitu est consummatum.* Damnatur a Constantino Arius, in exilium pellitur, quocum vero in gratiam Imperator redit: Dederat hoc tempori, vt Arium, Eusebium Nicomediensem et Theognin locis suis cedere iube-

ret

x) H. E. L. c. 41. et c. 44.

ret, sed paullo post restituit Arium. Clementem epistola ad se euocat curru publico vsurum: cum formulam fidei offerret, in qua omiserat το ὁμοουσιον, rogaret vero, vt abscissis ζητημασι et περισσολογιαις matri ecclesiae restitueretur, synodo Hierosolymitanae eum commendauit. Episcopi in epistola ad Aegyptios epp. narrant, Arium, cui imperator πιςεως ὀρθοδοξιαν ἐμαρτυρει, in communionem ecclesiasticam receptum esse. y) Post aliquot menses, ceteros etiam episcopos restituit, eisque vel hoc indulsit, vt scriptis aduersam partem oppugnarent. Descripsit quidem SOCRATES formulam μετανοιας, qua Eusebius et Theognis impetrarint restitutionem suam, eam etiam SOZOMENVS repetit; sed falsam esse et ὑποβολιμαιαν scriptionem, vt multae aliae sunt in caussis huius generis, ostendit auctor apologiae sociorum portus regii. z) Sunt etiam, qui Constantinum, sensu credo antiquo, quo etiam Apostoli Ariani essent, quia non loquuntur vt Nicaeae praeceptum est, Arianum factum esse dicant. Quamquam enim Homousianis fauisse Constantinum, dubio omni caret: testimonia tamen ab omni suspicione libera, quibus confirmetur, eum ad mortem vsque huic parti addictum fuisse,

 non

y) SEMLERI. H. E. T. I. p. 139. EVSEB. de V. C. L. IV. c. 42. RVFF. I. 11. SOZOM. II. 27.

z) SEMLERVS. l. c. p. 153.

non habemus. HIERONYMVS in Chronico: *Constantinus*, inquit, *extremo vitae suae tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma inclinat.* a) LVCIFER CALARITANVS. Lib. I. ad Constantium imperatorem pro Athanasio scribens patrem eius (Constantinum) Athanasium persecutum esse — — Constantium etiam loquentem facit: *nisi pater meus benefecisset conferre se ad Arianos, non eius filii regnaremus.* Quia ne scriptores quidem, qui in Orthodoxia Constantinum perseuerasse aiunt, qui fidei Nicaenae auctoritatem defenderent, eos Arianorum artibus deceptum vexasse negant. b) Constantius filius Constantini catholicos odio habuit c): Valens multis iniuriis lacerauit. d) Quo factum est vt Homousiani, qui adhuc victores fuerant de Arianorum victoria quererentur. SVL-

PI-

a) NAT. ALEX. H. E. Saec. IV. diss. XXIV.

b) Allgem Welthist. T. XIV. p. 87. §. 92.

c) ATHANASIVS in epl. ad. solit. vit. ag. Ruff. l. 15-17. SOCRAT. II. 26. THEODORET. II. SOZOM. III. 18. IV. 2. IVLIANVS in Epi. LII ad Bostrenos Edit. Spond. p. 435. EPIPH. haer. LXIX. Allg. Welth. T. XIV. p. 148. §. 16 cc p. 182. §. 204. p. 179. 180. §. 201. quamquam crimine eum absoluit GREGORIVS NAZIANZENVS in Orat. III. et IV. Contra Iulianum.

d) RVFF. II. 2. 5. SOCRAT. IV. 1. 16. 17. 2 THEODORET. IV. 12 13. SOZOM. VI. 6. 10. 1 BARONIVS T. IV. An. 366. p. 162. An. 36 p. 201. A. 370. p. 208. 218. A. 372. p. 277. 29

PICIVS SEVERVS *e)* — — — *haeresis Arii porupit, totumque orbem inuecto errore turbauerat. Etenim duobus Ariis acerrimis perfidiae huius auctoribus Imperator etiam deprauatur: dumque sibi religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit: actique in exilium episcopi, saeuitum in Clericos, animaduersum in laicos, qui se ab Arianorum communione secreuerant* — — *Tum vero Ariani, vbi doli parum processerant, vi agere decernunt. Nam quodlibet audere atque agere facile erat regis* (Constantii) *amicitia subnixis, quam sibi prauis adulationibus deuinxerant. Quin etiam ex consensione multorum inexpugnabiles erant. Nam omnes fere Pannoniarum Episcopi, multique orientalium, ac tota Asia in perfidiam eorum coniurauerant.* — — *f)* Constantius apud THEODORETVM *g)* exprobrat Liberio episcopo Romano, ipsum vna cum Athanasio *totius* se *mundi* consensui opponere. *Quota*, inquit, *pars tu es orbis terrarum, qui solus facis cum homine scelerato, et orbis terrarum ac mundi totius pacem dissoluis?* Quanta fuerit Arianorum auctoritas, ex synodo Ariminensi, Sirmiensi formula, rebusque Ancyrae gestis intelligitur. De qua

 Aria-

e) L. II. 35. 38. 39.

f) Conf. etiam. SOCRAT. I. 39. II. 2. 28. 30. 37. etc. SOZOM. IV. 6. RVF. I. 21. THEOD. I. 14. II. 16. 21. GREGORIVS NAZIANZENVS Or. XXV. adu. Arianos.

g) l. c. II. 16.

Arianiſmi propagatione multis in locis queſtus HIERONYMVS, *totum orbem ingemuiſſe* ait, *et miratum eſſe, ſe tam ſubito factum Arianum. h)* Adfectarunt Ariani adeo nomen catholicorum, *i)* quod ne inane eſſe videretur, in contrariarum ſententiarum aſſertores, vitium ſcilicet, quod dominantibus ſectis commune eſſe ſolet, ſecuti iniurias fecerunt. Tanta mala ſacris rebus attulit ſchiſma, quod ex cauſſa priuata ortum traxerat. *l)* Quid rei publicae intererat, Arium et Alexandrum ſe inuicem vocare haereticos? Vt vero Arianorum opiniones Nicaenum Concilium minime ſuſtulit; ſic nec Epheſinum Neſtorianiſmum exſtinxit, qui oriente toto olim iam per Syriam, Chaldaeam, Aſſyriam, Meſopotamiam diſperſus, ſedes ſuas ad hunc vsque diem fixit. Nec laetior fuit Chalcedonenſis Concilii exitus. Triumphauit Eutychianiſmus, quamdiu in viuis fuit Theodoſius. Quam atrociter in Catholicos ſaeuierunt Eutychiani? quare non ante concilium de Henotico cogitabatur, cum poſtea fruſtra ediceretur, nec ab orthodoxis, nec ab Eutychianis concorditer probatum. *m)* Cui vſui fuerunt triſtes illae dialecticorum prae-

h) Dial. adu. Lucifer.

i) EPIPHAN. haer. XXXVII.

l) SOCRAT. l. 5. THEOD. l. 2.

m) Vid. IABLONSKII diſſ. de Henotico, eiusdemque hiſt. eccl. P. I. p. 154. Nec non MOSHEMII H. E. Saec. V. P. II. c. IV. §. 16. ſeq.

praeceptiones, quae ſanctae veritati maiorem lucem non attulerunt, verum ampliorem diſceptationibus campum aperuerunt? Quamquam enim in Nicaeno Concilio, in quo patres ſibi haud conſtitiſſe videntur, peregrinis, a S. Scriptura alienis, ἀγράφοις vocibus vti prohiberetur, ex quibus EVSEBIO auctore omnis fere eccleſiarum diſſenſio ac perturbatio, συγχυσις και ἀκαταστασια orta ſit *n*); ab illis tamen inde ſaeculis malum illud ad noſtram vſque aetatem ſerpſit, vt in ſalutari doctrina, quam nos ratione duce et natura nunquam fuiſſe aſſecutos, verum diuinae gratiae munus eſſe. vno ore fatemur omnes, vanis formulis ludere et ſuperbire velint, Apoſtolicae ſimplicitatis, quae maiorem pietatem primae eccleſiae pacemquae conſeruauit, obliti. Saeculo quidem ſecundo alia dogmata, quam ſymbolo Apoſtolico comprehenſa, non tradebantur, ſummaque doctrinae de DEO et de rebus ad eum pertinentibus ante Nicaenum Concilium ſimplicitas erat: vt vero in litibus Arianis ab vtraque parte nouas formulas conditas eſſe vel ATHANASIVS ipſe fatetur *o*), ita poſtea etiam ceteras doctrinas ad inuenta ab hominibus verba alligare non dubitarunt.

 Dices

n) SOCRAT. l. 8. GELASIVS l. c. c. 36. p. 49.
o) In epl. de decr. Syn. Nic. contra haereſ Arian. T. I. p. 400. SOZOM. I. 21. VI. 4. THEOD. II. 28.

Dices fortaſſe, hunc eſſe vſum conciliorum, vt *haeretici* et *orthodoxi diſcernantur:* haec ſi tibi ſeria mens, nulla Chriſtianorum pars verae doctrinae ſtudioſior eſt, quam Romana. Sin habitas in repurgata eccleſia ſynodos putas: Lutherani quidem a Reformatis, hi ab Arminianis auulſi molesque, quibus a ſe inuicem arceantur, exſtructae ſunt. Res dignae ſacris conuentibus! Phariſaei cum Sadducaeis, quamuis opinionibus immane quantum a ſe inuicem diſſiderent, in vno templo ſacra celebrarunt, vtrisque etiam patuit ad ſummos honores aditus: Chriſtiani de formulis ſaepe litigantes, et ſi res bona mente ageretur, in eo, quod caput rei eſt, conſentientes cum fratribus vna ex Romana ſeruitute egreſſis, qui in vocabulis ἀγραφοις diſſentiunt, ſacra communia habere religioni ſibi ducunt. *Tolle ſophiſticas conſequentias, tolle cauillationes atque calumnias, tolle denique ſuperbiam et ambitionem, et facile de cetero conueniemus.* Quod quidem BERNEGGERI apud HEVMANNVM iudicium ita probamus, vt noſtrum eſſe putaremus. Iudaeorum haereſes illae quidem mutuo ſe odio proſecutae ſunt: quod vero Chriſtiani, licet in multas ſocietates abierint, neque vt illi Iudaei in vna ciuitate degant, adhuc non depoſuerunt. Quis tam hoſpes eſt in re litteratorum publica, vt ignoret dictatores illos *Caluinianorum* et *Sacramentariorum* modeſtis nominibus ſcri-

ſcriptiones ſuas et commentarios exornantes. Neque caeci adeo ſumus, vt in reformata etiam eccleſia creatos vitio cenſores fuiſſe negemus. At ex pluribus vnum memorabile pacis ſtudii exemplum commemorare fas eſto, cui an aliud opponi poſſit nos equidem neſcimus. Quum ex occaſione ciuis cuiusdam Lugdunenſis, cuius filiam ambibat adoleſcens Germanus Auguſtanae, vt loquuntur, Confeſſioni addictus, quaeſitum eſſet, quo loco habendi forent ii, quos vulgo Lutheranos vocant, fratres, qui ad ſynodum Carentonae in ſuburbano Pariſienſi MDCXXXI conuenerant, ex omnibus Galliarum prouinciis ab eccleſiis miſſi, vniuerſi ita cenſuerunt: *quando Auguſtanae Confeſſionis eccleſiae cum ceteris reformatis in omnibus verae religionis principiis, articuliſque fundamentalibus conueniunt, cultumque exercent purum ab omni idolatriae et ſuperſtitionis labe, ſi qui ſint illius profeſſionis homines, qui cum charitatis et lenitatis ſpiritu ſacros eccleſiarum noſtrarum coetus frequentent, earumque communionem expetant, iis ſine vlla abiuratione praeuia, liberum eſto ad ſanctam Chriſti menſam nobiſcum accedere, matrimonia cum noſtrae confeſſionis feminis contrahere, et infantes baptiſmo tingendos de more offerre, atque ſuſcipere, dum noſtris ſynedriis in hoc vltimo caſu ſancte ſpondeant, ſe infantes, quos de ſacro lauacro ſuſceperint, neque directe vnquam, neque indirecte aduerſus eam, quam noſtrae eccleſiae cre-*

credunt atque profitentur, doctrinam sollicitaturos, sed ea duntaxat fidei capita edocturos, de quibus inter nostras ipsorumque ecclesias conuenit. p)

LIBER QVARTVS.

CAP. II.

Ex discidiis illis, quae peperit humana fides, enatae sunt dirae illae vexationes, quae profanos adeo stupidos detinuerunt. In litibus Arianis, cum antistites et populi multitudo quemque a partibus suis auersum conuiciis lacerarent, eo tandem indignitatis res processit, vt sancta doctrina turpissimo risu ac ludibrio in theatris traduceretur. *q)* Neque honorificam peruersitatis illius mentionem iniicit AMMIANVS MARCELLINVS, qui *nullas infestas hominibus*, inquit, *bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus* (Iulianus). *r)* Abderitanae pectora plebis, vel inhumana potius, omnique sensu exuta habebunt, qui ferocitatem, qua homines ob opinionum dissidia in homines saeuiant, eamque ab omni non solum religione, sed etiam ratione et natura alienam non mirentur,

p) Conf. De pace inter euangelicos procuranda sententiae IV. traditae IO. DVRAEO. Londini MDCXXXVIII.

q) EVSEB. de V. C. L. II. c. 61. SOCRAT. I. 6.

r) Hist. L. XXII.

rentur, non deteſtentur, cum nec lupis vnquam hic mos fuit, nec leonibus, niſi in diſpar genus. Ex eo autem tempore, quo fides humana legis vim nacta eſt, hae etiam vexationes ſumſerunt initium. Exitiabilis illa ſententia, errores hominum de rebus diuinis, ſi moniti mentem mutare nolint, poenis et ſuppliciis vlciſcendos eſſe, poſtquam Conſtantinus otia Chriſtianis fecerat, a multis probata, in certaminibus cum Priſcillianiſtis et Donatiſtis exemplis roborata, Auguſtini auctoritate prorſus ſancita, et ad ſequentem aetatem traducta eſt. *s)* Dici vix poteſt, quam immanes in haereticos decreuerint poenas. *Eminet inter eas*, VT THOMASII verbis vtamur, *excommunicatio, eaque non intra terminos excluſionis a ſocietate eccleſiaſtica permanens, ſed excluſio ab omni conſortio ciuili, exemplo praetenſo Ioannis Euangeliſtae intuitu Cerinthi ſtabilita, ac horrendis ceremoniis peracta, et maledictionibus — — — adiunctisque adiurationibus execrandis, ex Iudaiſmo in Chriſtianiſmum translatis. Quae excommunicatio extenditur etiam ad receptatores et defenſores haereticorum. Quae adeo cum ſummam infamiam inferret, non poterant non eiusmodi excommunicationem ſequi et alii effectus, infames alias concomitantes, et cum excommunicatio ſumma ſpecies infamiae ſit, adhuc maiores;*

qua-

s) Auctor eſt MOSHEMIVS l. c. ſaec. IV. P. II. c. III. §. 16. p. 153. 154.

quales sunt: haereticis non esse seruandam fidem, in tantum vt nec subditi domino amplius teneantur, sed ab eius obsequio liberati sint. Quod haeretici ad dignitates et officia publica non admittantur, vnde nec haereticus potest fieri imperator. Et filii quoque haereticorum usque ad secundum gradum paternae lineae et primum materane sunt inhabiles ad officium publicum et beneficium ecclesiasticum. Ob haeresin possunt sponsalia rescindi, et matrimonium contractum soluitur, nec mulieres haereticae gaudent priuilegio dotis, ac mulier scienter haeretico nubens, dotem amittit, eaque fisco applicatur. Amittunt patriam potestatem haeretici, et praeterea haeresis est inter iustas exhaeredationis caussas, tam intuitu patris quam filii. Imo in genere haeretici non possunt succedere, nec ab intestato, nec ex testamento, nec legatum aut fidei commissum accipere, licet sit testamentum militis. Libri eorum prohibentur, et igne comburi iubentur, immo et illi, qui eos legunt, vltimo supplicio puniri. Bona haereticorum, si laici sunt, confiscantur, etiam post mortem, si clerici, eorum bona ecclesiis, a quibus stipendia receperunt, applicantur. Denegatur haereticis auxilium aduocatorum, contra eos admittuntur etiam excommunicati ad testimonium, immo non opus est, vt testium et accusatorum nomina iis publicentur; potest haereticis decerni poena exilii; damnantur etiam ad perpetuos carceres, immo vltimo supplicio afficiuntur, et denique honesta sepul-

pultura iis denegatur — — — *t)* Tantum potuit ſuperſtitio ſuadere malorum! tantae ſunt animis caeleſtibus irae! Quo iure vero poenae iſtae conſtitutae ſint, videant, qui inhumanitatem illam amant, maximorumque tumultuum faces ſaepe ſunt et tubae. Placet forte AVGVSTINI ſomnium de Hagare domo Abrahami eiecta, cuius exemplo nempe vera eccleſia de falſa poenas ſumere poſſit *v)*; aut MAIMBVRGII de haereſi monarchiae inimiciſſima *x)*; aut THOMAE, qui haereſin cum ciuili crimine confert, et quia maius crimen ſit, fidem quam pecuniam corrumpere, haereticos etiam durioribus poenis afficiendos eſſe putat *y)*; aut LIPSII cum Maimburgio facientis, in republica non tole-

t) Haec THOMASIVS in diſſ. de iure principis circa haereticos §. 56 - 66. dicta auctoritatibus confirmat.

v) Conf. BAYLE Oeuvr. T. II. a la Haye. 1727. p. 451. nec ſibi conſtitit AVGVSTINVS, in diſputatione enim aduerſus Manichaeos: *quamquam Dominus*, inquit, *per ſeruos ſuos regna ſubuertat erroris, ipſos tamen homines, in quantum homines ſunt, emendandos eſſe potius, quam perdendos iubet.* Apud Baelium in Dict. Art. Anabapt. Lit. G.

x) hiſt. du Calu. p. 96. *l'hereſie eſt l'ennemie capitale de la Monarchie.* Refutatur a Baelio Oeuvr. T. II. *Critiq. gen. de l'hiſt. du Calu.* p. 54. Eiusdem Maimburgii axioma: *il ne faut ſouffrir, qu'une religion dans uu Etat*, ibid. p. 71. examini ſubiicitur.

y) Secund. Secund. Qu. XI. Art. III. p. m. 24.

tolerandam esse, nisi vnam religionem z)) aut Loiolitarum impiae artes, qui BODINVM adeo, quoniam principibus haereticos vexare fas esse negarat, in Atheorum numerum retulisse dicuntur? Longe alia praecipiunt doctissimi iuris doctores; sanctissimae vero religioni, cuius caussam se agere temere praedicant, impia ista atque inhumanam conamina quam maxime repugnant. a)) Adferunt equidem exempla Pseudoprophetarum et sacrificulorum ex Iudaeorum historia, quae vero cum haereticis et oeconomia Noui Testamenti conferri non possunt. Quo consilio, quo animo, Christianae religioni intolerans ingenium proprium, atque ob pacis studium Protestantes pro falsis Christianis habendos esse statuerit PRADESIVS, id quidem intellectu difficile omnino non est: hanc vero eius sententiam non esse cum ceteris eius opinionibus a Pontificiis publice notatam, admirabile esse videtur. Tolerauit salutis nostrae reparator errantes, eorum imbecillitati mira sapientia succurrere solitus, impios modo, ac scelestos quam grauissime increpuit: qui se eius sectatores esse praedicant,

z) Doctr. Ciuil. L. IV. c. 3. Opp Antw. 637. edit. T. IV. p. 47.

a) Conf. liber a Ven. RAMBACHIO Halae 1759. 1760. germ. idiom. don. *Schicksal der Protestanten in Franckreich.* T. I. p 12 · 35. Elegans etiam libellus Berolini 1767. editus: *Vom falschen Religionseifer.* p. 59. 89.

cant, acerbissimo odio dissentientes prosequuntur. O praeclaram illam imitationem! Veritatem quidem commendat Scriptura, verum etiam pacem. *c)* Infirmos fide non abiici, sed assumi, et imbecillitates sustineri iubet Apostolus. *d)* Quin auersi etiam a vera religione populi in ea fuerunt sententia, errantes tollerandos esse. *Differentium inter se reprehensiones*, inquit, CICERO, *non sunt vituperandae. Maledicta, contumeliae, iracundiae, contentiones, concertationesque in disputando pertinaces indignae mihi philosophia videri solent. e)* SENECA de ira: *non est prudentis errantes odisse, alioquin ipse sibi odio erit.* Quamquam singulis gentibus proprius erat deorum ordo, et sua cuique colendi deos et placandi ratio; haec tamen religionum varietas nec bella, nec inimicitias inter populos, si ab Aegyptiis forte discesseris, concitauit. Iudaei etiam per totum fere terrarum orbem Augusti temporibus diffusi quamuis multitudini propter religionis morumque differentiam vehementer exosi essent, profanorum magistratuum legibus et mandatis aduersus vim et iniurias populorum muniti erant. *g)* Facta sub HADRIANO vexatione, hanc post exerceri prohibuit, *iniustum esse pro-*

K *nun-*

c) ZACH. VIII. 19.
d) MATTH. XII. 7. EPH. IV. 1-6. PHIL. III. 15 16. I COR. XIII. 4-7. GAL. VI. 1.2.14-16.
e) L. I de fin. bon. et mal.
f) MOSHEMIVS l. c. p. 13. et 23.

nuntians, vt quisquam sine crimine reus constitueretur. g) Themistium VALENTI Ariano oppressionem orthodoxorum dissuasisse, ex ipsis historiae ecclesiasticae scriptoribus constat. *h*) ANTONINVS Philosophus eiusdem lenitatis exemplum praebet, *i*) nec difficile esset plura addere, si alias pateretur locus. Rectam rationem secuti, vacuique prauis cupiditatibus homines, de humanis erroribus, id est, de suis acerbe non iudicabunt. Quam sibi igitur ecclesia conciliat auctoritatem tolerando impios, errantes atrocissime vexando? Inhumanum censent gentes a Christiana fide alienas vi et armis opprimere; quanto igitur potius errantes Christianos, ob opinionum dissidia scelestorum loco habere prohibebit sancte praecepta humanitas? Recte quidem BAELIVS, si qui fuerint, qui religionis caussa odisse alios velint, his exspectandum esse, donec Aegyptiorum exempla secuti alii hos, alii Christianorum illos deos venerentur. *l*) AVGVSTINVS de haeresibus scripturo singulari DEI auxilio opus esse

arbi-

g) SVLP. SEV. II. 31. Vexatio sub Hadriano facta SPANHEMII iudicio cruenta non fuit. Populos passim in Christianos clamores excitasse, nullo edicto Imperatoris. Conf. H. E. Saec. II.

h) SOCR. IV. 32. SOZOM. VI. 36. NICEPH. XI. 46.

i) EVSEB. H. E. L. IV. c. 13. et VALESIVS ad h. l.

l) Dict. Art. HENR. ALTING. not. E.

arbitratus eſt, *cernis me, vt id agam*, in praef. libr. de haer. inquit, *piis ad Deum non ſolum tuis, verum et aliorum fratrum orationibus adiuuandum m)*: multo magis igitur haereticos iudicaturus hoc auxilio indigebit. Quod ſi piis precibus imploraſſent DEVM auſteri iudices, non eo animi ardore in homines, eosque innocentiſſimos ſaepe ſaeuiiſſent: quod nunc autem in conciliis maxime placet, et cum rei ratione optime conuenit, eſt precatio de condonandis peccatis in conciliorum fine habita. Nobis, qui Romanae tyrannidis iugum excuſſimus, dedecori cedit, quum pontificiorum inhumanitatem recte accuſemus, odium nihilominus in diſſentientes habere, BOSSVETI adeo iniuriis, quibus Proteſtantes premebantur, excuſantis ſententiae vim addere, ſe haereticorum poenis praeter Anabaptiſtas et Socinianos oppoſuiſſe neminem. At portentum conflatum eſt recens! incredibili admiratione, ſummo ſimul triſtitiae ſenſu affecti ſumus, quum ex commentariis de libris theologicis, qui Gedani eduntur, viri ſuis ceteroquin meritis ſpe-

m) Quem locum citat BELIESOBRIVS in diſſ. *ſur les Adamites*, quae extat in Bibliotheca Germanica. T. IV. Art. III. p. 118. vbi ille: il n'y a point en effet d'ouvrage, ou un Auteur ait plus de beſoin d'etre aidé de la Grace, que dans une hiſtoire des heréſies, parce qu'il n'y en a point, ou il ſe trouve un plus grand concours de cauſes d'erreur. — —

ſpectatiſſimi acerbiſſimam vehementiam, eamque a Gedanenſibus approbatam eſſe intelleximus. Ille vero in oratione ſacra Vittebergae in indoctae multitudinis concione habita: *quod ſi rediret carus Lutherus meus, haecque videret atque audiret, ſuperbos illos theologos, commentariorumque auctores, non aliter ac olim IESVS, ex aede et cathedra flagello expelleret. Credite mihi, ex quo eccleſiae priſtina integritas reſtituta eſt, in coetibus noſtris peius, quam nunc, actum non eſt, neque ea vnquam impudentia in mediam eccleſiam ſe publice immiſerunt* ἀπιστίας *miniſtri.* — — Per DEVM O. M. quis vnquam ſana mente praeditus, nec intemperato ſtudio totus deditus atque occaecatus LVTHERO, viro ceteroquin ſummo, omnibusque noſtrae quidem aetatis acerrimis defenſoribus ſuis longe maiori eam, quam IESVS habuit, auctoritatem tribuere auſus eſt? aut quo in S. codicis loco legislator ille Vittebergenſis legit, IESVM imbecillitatis humanae patientiſſimum, errantes homines, aut theologos errores propagantes flagellis cecidiſſe? Quo iure theologi a Vittebergenſi fide alieni ἄπιστοι vocantur? ſed haec eſt hominum a Chriſtiana manſuetudine auerſorum conſuetudo, vt a nulla ſibi iniuria temperent, ſi ſuae auctoritatis cauſſa agitur, nuper adeo eſſet etiam, qui non Socinianos ſolum, quamquam his etiam iniuria infertur, ſed theologos etiam humanae equidem auctoritatis negli-

gligentes, multo vero doctiores, quam vt Socinianorum vllamque aliam inuentam ab hominibus de Trinitate doctrinam approbare possent, *Deistarum* nomine ornare non erubesceret. Quam turpis mater sit necesse est, quae detestandam adeo genuit, aluitque prolem!

LIBER QVARTVS.

CAP. III.

FIDEI humanae nimia veneratio tantos excitavit furores, vt in libros, quod prudentiori posteritati incredibile forte videbitur, non aliter quam in scelestissimos homines saeuierint. Nisi Numae Pompilii scripta iussu Senatus combusta essent, rectius dixisset SENECA: *eo saeculo ingeniorum coepisse supplicia, quo et desierint ingenia.* Quam profanorum imprudentiam imitati haereticorum iudices libros iisdem fere, quibus auctores, suppliciis multarunt. Non vetuit solum Constantinus librum, in quo Arius sententiam suam exposuerat, praelegere, verum etiam Arianorum libros omnes comburi iussit, poenasque proposuit istos asseruaturis. *n)* Habuit Imperator, qui crudelitatem imitarentur: *o)* nec consequentibus saeculis

 de

n) SOZOM. L. I. c. 21. SOCRAT. I. 9. BAYLE Dict. Art. Arius.

o) EVAGRIVS. L. III. 4.

de more illo decessisse homines acceptarum a maioribus rerum tenaces, GREGORII in liberales artes iniuria, controuersia REVCHLINI, Wormatiense datum a CAROLO QVINTO Academiae Vindobonensi de comburendis LVTHERI scriptis mandatum, exemplaque alia comprobant. Quod vero laudari ne in pessimi quidem generis libris potest, tam quod in illis multa nonnunquam sunt, quae refutandis aduersariis inseruiunt, quam ob suspicionem, in quam se adducunt, qui a libris poenas sumunt, velle caussa sua diffisos argumenta, quibus resoluendis impares sint, vi et armis tollere. Quin poenae illae rebus humanis fraudi esse videntur. Qui obscuri erant, paucis cogniti, a paucioribus lecti ipso supplicio diuulgantur latius, quaeruntur intentius, cariusque emuntur. In tristissimis istis malis, quae generi nostro adfert humana fides et hoc est, vt mire imminuatur ac laceretur veritas. Quando enim in rebus a rationis acumine disiunctis hominum arbitrium legis vim obtinet, fieri non potest, quin bonis admisceantur mala. Cuius rei fidem facit, ac praeceptiones humana auctoritate munitas diuinae fidei omnisque religionis contemnendae caussas fuisse, historia docet. Quod si recte iudicauit IABLONSKI: *haereticos esse, qui fidem propriam legis loco ponant* p): videant, qui haereses, quas vocant, quoquo modo tollere volunt,

ne

p) In diss. de vera significatione vocis *αἱρέσις*. §. 6.

ne ſibi peſſimae haereſeos notam inurant ipſi. Quum praeciſa enim iudicandi ſententiamque ſuam proferendi poteſtate, veritas ipſa humano imperio ſubiici videtur: nae humana fides veritati longe inimiciſſima habenda erit. Apoſtoli quidem volunt, vt *omnia probemus, neque cuilibet credamus* q): quod vero fieri nequit, quando imperium accepit humana auctoritas. Libertas ſentiendi, quae velis, et quae ſentias, dicendi puritatem reddidit ſacris rebus, quibus repurgandis, ſi ſe fidei humanae vinculis alligari paſſus eſſet, inhabilis fuiſſet LVTHERVS. Neque religionis ſcientia, ſi ab eo nempe, quod ſanctioris doctrinae caput eſt, et in ſacris libris diſerte traditur, receſſeris, omni ex parte perfecta eſt, vt, quo vltra progrediantur homines, non habeant. Memorabilia nobis videntur, quae GOHRENIVS in fine diſputationis *de fermento Phariſaeorum* ſub praeſidio WEISSENBORNII Ienae impetrandorum Academicorum honorum cauſſa habitae: — *breuisque* (alius ſcilicet temporis opportunitati reſeruanda eſt) *diſquiſitio* de reliquiis fermenti Phariſaici in eccleſia Chriſtiana adhuc dum obuiis, *niſi forte ab hocce inſtituto me abſterruerint, quae Abrahamo Heidano easdem in Reformata Eccleſia deliteſcentes quaerenti, indaganti, omnibusque palam facienti oborta ſunt negotia.* Qui placitis hominum vim legis vindicant, ſibimet libertatem adimunt ipſi, et te-

q) 1 Theſſ. V. 21. 1 Io. IV. 1.

temere in se legem sanciunt iniquam. Dum enim quae volunt, et credunt libenter, et quae sentiunt ipsi, ceteros sentire sperant, iubent, cogunt, ne vmbra quidem libertatis remanet. Eo enim consilio humana fides inuiolabilis esse dicitur, summaque, qua fieri potest, munitur auctoritate, vt credendi libertas tollatur. Quod si e sacris libris modo, eorumque dubitationem nullam relinquentibus apud animum locis repetenda doctrina esset, periclitarentur nonnunquam inueteratae opiniones, quae vt saluae atque integrae essent, formulae condebantur ceteris Christianis praescribendae. Verus Papismus, qui non solum intra Romae moenia residet, sed longe lateque sub lenioris nominis simulatione dominatur. *Peccatur Iliacos intra muros, et extra. Equidem scio, symbola vsus non contemnendos praestare — — — — cauendum tamen, ne nimis vrgeantur; neque nimis specialia dogmata definiant, ne conscientiae tenerae, quae nihil praeter S. Scripturam in rebus fidei assumit, vis inferatur. Exemplis demonstratum est, huiusce coactionis effectus plures malos, quam vnquam bonos fuisse: lege historiam motuum prapter Concilium Chalcedonense, vt et Henoticon Zenonis excitatorum, ac contremisce.* Haec quidem Vir Apostolica pietate praeditus, IABLONSKI: audi alium celebrem doctorem. TVRRETINVS in oratione *de adulterati Christianismi caussis: mancipandis,* inquit, *animis, atque ad assensum inuitis trahendis*

dis nouae fiebant de credendis leges, noua symbola fidei, nouae sanctiones, noua anathemata in eos, qui vel latum vnguem circa res saepe obscurissimas, neque in scriptura definitas a receptis placitis vocibusque discederent. Sic homines se homines obliti, DEI propria sibi sumserunt. Sic iugo a DEO imposito aliud atque aliud iugum addidere. Sic fides imperata, quae suaderi potius debuit, quaeque soli DEO suberat, humanis placitis, atque imperiis subiecta est conscientia; plane contra exemplum Apostoli, qui non fidei dominari, sed fidelium gaudio seruire, sui muneris esse censebat. Quo factum est, vt multi sint ab inquirendis aliorum, promulgandisque suis sententiis deterriti. Quum enim fama malum sit, quo non aliud velocius vllum mobilitate viget, viresque acquirat eundo, tam ficti prauique tenax, quam nuntia veri; veriti, ne haereticis adscribantur, muneribus moueantur, eiiciantur e patria, vel carcere fatigentur et vinculis, silent, aut cum somniantibus somniant, meliora probantes deteriora sequuntur. O tyrannidem! o simulationem! Neque nobis quidem conscii aliam originem, quam ex humanae auctoritatis nimio studio, fraudes illae sacrae habuerunt. Mittimus profanorum nugas, quibus credulum vulgus deceperunt sacerdotes, qui se a diis edoctos esse ac per oracula deorum voluntatem et futura praedicere venditarunt, quum olim iam mirabile philosophis visum est; quod non ri-

deat haruſpex, cum haruſpicem viderit: at Chriſtianorum res quam turpibus dedecoratae fraudibus ſunt? *Pias fraudes, immo potius impias, ſpurios foetus tum Apoſtolis, tum Apoſtolicis viris adſcriptos, Imperatorum donationes fictas, Pontificum pſeudodecretales, falſa miracula, legendas putidas, aliaque id genus commenta adulterando Chriſtianiſmo, vel corruptelis ſaltem confirmandis plurimum inſeruiiſſe, omnino peregrinus ſit in eccleſiae rebus*, inquit TVRRETINVS, *qui neſciat, ad eundem fere modum, quo, qui genuinis nobilitatis inſtrumentis deſtituuntur mendacia cudere non erubeſcunt.* Caue putes, ab hoc vitio, antequam in vniuerſam eccleſiam imperium Romanus epiſcopus adfectaret, immunes fuiſſe Chriſtianos: cum ipſa fide humana et natum eſt malum, et adoleuit. Capitalis ille error: *fallere ac mentiri virtus eſt, ſi res ſacra hoc vitio iuuari queat*, iam ante ſaeculum quartum approbatores ſuos habuit. Quantos ineptiſſimarum fabularum aceruos, quantumque piorum mendaciorum exercitum per omnia ſaecula, infelici verae religionis fato produxerit, dictu incredibile eſſe ait MOSHEMIVS. *Vereor ego*, inquit, *ne qui curioſius maximorum et ſanctiſſimorum huius* (quarti) *ſaeculi doctorum res geſtas et libros explorauerit, omnes fere hac ſcabie inquinatos inuenturus ſit. Non* AMBROSIVM, *non* HILARIVM, *non* AVGVSTINVM, *non* GREGORIVM NAZIANZENVM, *non* HIERONYMVM *excipio.*

Ex

Ex fide humana oritur etiam *inconſtantia et mutabilitas mentis.* Quum enim ficulneo fundamento innititur, vbicumque maior acceſſerit auctoritas, aut homo quem auctorem ſecuti ſunt, mutet opinionem, religionem etiam mutant, eademque temeritate, qua alteri ſe olim parti adiunxerant, ad alteram transeunt, Quod quidem ex Chriſtianorum poſt Nicaenum Concilium exemplo intelligitur, qui nunc ARII, nunc ALEXANDRI factioni adhaeſerunt, prout aut huic, aut illi fauerent Imperatores. Fidei tandem mancipia non dubitant, diuinam nonnunquam legem violare, vt ſeruentur hominum inſtituta. Vtrum hoc in coetibus, qui ſe a ſordibus Romanis puros eſſe praedicant, nunquam accidat, iudicet diligens rerum, quae fiunt, isque candidus aeſtimator. Quibus malis omnibus annumeranda etiam eſt impia illa religionis contemtorum audacia, qua diuinis humana miſcent mendaciis ſuis ſpeciem additurı, cuius rei ſpecimen dedimus in IVLIANO.

LIBRI

LIBRI QVARTI

CAP. IV.

QVI fieri potuerit, vt humana fides, licet plurimi probe norint, quam vana sit eius auctoritas, sancte adeo et culta sit, et colatur, atque tantorum malorum caussas ac fontes sine acerbissimae tristitiae sensu indicare non possumus. Vtinam in his caussis praeconceptae modo opiniones, neque improbae atque impurissimae cupiditates essent. Opinio quidem temere assumta est, vt quaeque sententia antiquissima est, ita eam etiam verissimam esse. Quo fit, vt SYMMACHVM sequantur, qui: *si longa*, inquit, *aetas auctoritatem religionibus faciet, seruanda est tot saeculis fides, et sequendi sunt nobis parentes, qui feliciter secuti sunt suos.* Cui antiquitatis studio se interdum adiungit inuidia, nouitatem ab aliis allatam inuisam reddit, et in mustaceo quaerit laureolam.

Hi sunt inuidiae nimirum — — mores,
Praeferat antiquos semper vt illa nouis.
Sic veterem ingrati Pompeii quaerimus vmbram,
Et laudant Catuli Iulia templa senes.

Sunt

Sunt etiam, qui turpe putent, parere iunioribus, et quae imberbi didicerint, senes perdenda fateri; qui eruditione sua inflati, opiniones suas non commendent solum, sed aliis inuitis etiam obtrudant, nec quemquam priorem ferre possint, nec parem; qui sibi soli sapere videantur, sua solum legant, sua ament, ceteros indicta caussa condemnent; qui quaerant gloriam ab hominibus, seque ad illorum consuetudinem componant; qui oculis male lippi inunctis in amicorum vitia tam cernant acuti, quam aquila, aut serpens Epidaurius. Alii facultatibus suis consulere volunt, tenentque maiorum statuta, vt amicos sibi et fautores, horumque beneficia concilient. Quod si igitur metuendae aduersitates nullae essent, plures prodirent veritatisque honorem et puritatem vindicarent, qui nunc equidem iniquo metu oppressi improbe silent. *Sic vero*, inquit MOSHEMIVS, *vita est hominum, vt prudentes sileant, plebs temere credat, fallaciarum architecti triumphent, quum veritatis professioni multum periculi adiunctum est.* Alii Curios simulant, et Bacchanalia viuunt: famam sibi conciliaturi in miseros haereticos feroci atrocitate irruunt coercendae propriae sibi improbitatis immemores. Plerique forsan eunt, qua itur, duces suos caeco impetu secuti, quod sinistro omine ad docendi munus accesserunt, quum ad circum-

du-

ducendum aratrum adfecti melius esse vide-
antur, aut ignaui adeo sunt, vt de religionis
caussa parum solliciti sint, sed otium, immo
vero turpissimum languorem in summis de-
liciis ponant. Tantum vero abest, vt, cu-
ius iniquitatis nos maxime puderet, viros
traditarum ab hominibus opinionum tenaces
omnium illorum vitiorum incusemus, vt plu-
rimos ab omnibus illis puros esse non spere-
mus modo ac optemus, verum etiam confi-
damus. Plurimi nimis dediti antiquorum
doctorum venerationi sunt, quae ex liberali
pietate proficiscitur, atque laudabilis omni-
no esset, nisi a cognoscendo vero abstrahe-
ret. Quamuis enim pius error sit, atque ex-
cusabilis, quin inhumana veritatis defensio-
ne longe amabilior: suam tamen, id est er-
roris naturam exuere, et cum veritate, cu
repugnat, consentire non potest. Ni vero
omnia nos fallunt, aequiores se humanae fi-
dei aduersariis praebuissent, nisi fuissent ii
his, qui nouitatis, quam veritatis studiosio-
res aberrassent saepius a vero, et in admira-
bile

biles opiniones, quin vitia interdum etiam incidiſſent. At cauſſa ſua nihilominus humanam fidem cadere, quisque videt, qui videre vult. Quaecumque vero cauſſae ſint, late patet humanae auctoritatis regnum, et a priſtina integritate religionis cultores auocat. Confer igitur, ſi placet, hodiernam Chriſtianiſmi faciem cum ea, quam aeuo Apoſtolico habuit, et vices noſtras luge. In antiquiſſima eccleſia nulla fuerunt Concilia, Symbola nulla, neque vexationes, neque pompa in rebus ſacris, liberalis vero et decora in tradenda doctrina ſacra, interpretandisque oraculis ab omni vana ſubtilitate abhorreas ſimplicitas, pietatis, modeſtiae, tolerantiae ſummum ſtudium; redi ad noſtra tempora, et mirare — — hem quo ſunt res redactae! — — — Concilia, Symbola, Confeſſiones, Canones, Decreta, ſed diſſidia etiam, rixas, contentiones, conuicia, bella, quaeſtiones tortuoſas et difficiles, publicorum ſacrorum indiligentiſſimam adminiſtrationem, eamque ad opinionem et conſue-

ſuetudinem magis, quam ad rationem compoſitam, vitam a ceteris gentibus, blanda ſolum morum ſpecie, quam elegantem dicunt, abhorrentem. Haec vt ſe habeant, vbi ad exitum nos conuertimus, qui nobis omnibus idem patet, quam apertiſſimum eſt, nullius in ſacris rebus momenti humanam fidem eſſe. Quando enim felix fauſtaque venerit hora mortalium rebus exemtos ad beatiores ſedes euectura, fides iſta nullam habebit in animos vim. Neque quaeretur in Concilio nouiſſimo, eoque ſolo vere oecumenico de Conciliis, de Symbolis, de Decretis, de Societate Eccleſiaſtica, nec de vllis opinionibus; — — ἐφ᾽ ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων, τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε: de hoc quaeretur, ex hoc iudicabitur. Vtinam huius exitus memores id vnum curarent, vt olim ex praeſentis vitae diuerſorio laeti poſſint abire!

DE

PRAECIPVIS

CHRISTIANAE DOCTRINAE

CAPITIBVS

LIBER SINGVLARIS.

Ἐι τις ἑτεροδιδασκαλει, και μη προσερχεται ὑγιαινουσι λογοις τοις του κυριου ἡμων Ἰησου Χριςου, και τῃ κατ᾽ εὐσεβειαν διδασκαλιᾳ, τετυφωται, μηδεν ἐπιςαμενος, ἀλλα νοσων περι ζητησεις και λογομαχιας, ἐξ ὡν γινεται φθονος, ἐρις, βλασφημιαι, ὑπονοιαι πονεραι, διαπαρατριβαι διεφθαρμενων ἀνθρωπων τον νουν, και ἀπεςερημενων της ἀληθειας, νομιζοντων πορισμον εἰναι την εὐσεβειαν. ἀφιςασο ἀπο των τοιουτων. 1 Tim. VI. 3. 4. 5.



QVVM nobis aliquot abhinc annis ſcriptio theologica publicae diſputationis cauſſa edenda eſſet, id quidem vel in ipſo eius ingreſſu ac limine commendatum nobis habuimus, vt de ea re ſcriberetur, quae et grauis eſſet, et theologo non indigna, cuiusque aſſidua meditatio ad hominum propagandae ſacrae doctrinae ſtudioſorum ſenſus moresque formandos aliquid conferret. Quae enim ceterae inſtitui atque haberi ſolent diſputationes, quamuis elegantes ſint, et varia eruditione, eaque politiſſima refertae, adeo vt auctores operae multum oleique in lucubrationibus ſuis conſumſerint, ſi nullam vim in animos habent, neque ad eos flectendos valent, neque iuuant ad veram ſapientiam curam ſuam atque operam collaturos, non multum certe proſunt ſocietati humanae, atque hoc vno nomine laudabiles ſunt, quod famam hominum et eruditionem illuſtrent: quae virtutis autem amorem augent, ad eumque ita quemque maxime incitant, vt eſt

quisque veri honeſtique ſtudioſiſſimus, eae maxime decent virum conſtantem, qui ſe deſidioſiſſimo otio diffluere, langueſcere, et nihil agere exiſtimat, ſi horum cogitationibus perdiderit neque patriae, neque ciuibus, neque ſtudioſae litterarum iuuentuti profuturis. Quum ea igitur, quae DE PRAECIPVIS DOCTRINAE CHRISTIANAE CAPITIBVS recte praecipiuntur, inſignem poſſe ſanctiorum litterarum cultoribus vſum adferre viderentur; ex rebus etiam antiquis temporibus, quin noſtro etiam aeuo in ſacra ciuitate geſtis, doctrinam illam non ſine magno veritatis atque pacis detrimento aut perperam traditam, aut plane detortam eſſe cognoſceremus; voluimus in iſta equidem cauſſa, vt in ceteris, non aliorum, ſed noſtro iudicio vti. Quamquam enim de ea re ſcripſerunt viri doctiſſimi; plurimi tamen non tam veritatis, quam partis cauſſam, cui ſe adiunxerunt, dederuntque nomina ſua, egiſſe videntur, vt adeo haud inutilis ſit hominis labor, qui neglecta hominum, partiumque, legumque humanarum auctoritate, rectam rationem, et rite factam ſacrarum litterarum interpretationem ſequatur. Nunc vero ſuperioribus de humana fide libris, in quibus crebra *fundamentalium articulorum* mentio facta eſt, vt, quae de his ibidem diximus, ſententia noſtra paullo magis perſpicua ſit, diſputationem iſtam non incommode adiungi

poſſe

posse putauimus. Quam rem antequam persequamur, praemittenda nonnulla sunt de religionis vera natura, ex quibus eo facilius intelligatur, quae debeant esse dogmata, quae *fundamentalia* dicere solent.

De vera itaque religione id vel primo loco praecipiendum esse; non temere, sed grauissimis rationibus adducti statuimus, eam late adeo patere, vt latius non possit, vereque esse *catholicam*. Neque hominum genus est, neque communio, ne terra quidem aut tempus, ad quod non sit accommodata. Et iuueni competit et seni, cum Europaeo, tum Americano, homini nato in vmbrosis Heliconis oris, aut super Pindo, et alteri, qui in gelida Lapponia in lucem susceptus est, melancholico, qui tristi natura et recondita est, et ardentioris atque feruentis animi homini, et hilari ac ad omnes laetitias promto, regibus non minus quam subditis, opulentis ac pauperibus, vnicuique demum homini, cuiuscumque generis, aetatis atque ordinis sit, quocumque se inclinet mens eius atque sententia, siue sub populi, siue optimatum, siue regis singulari imperio viuat. Quum enim DEVS amat omnes homines, eosque eo consilio condidit, et in hoc telluris domicilio collocauit, vt salutari religionis beneficio sempiternam olim felicitatem adipiscantur; partes praecipuae, quae ad ca-

 put

put eius pertinent, ex quibus caeterae tamquam riuuli ex fonte deriuantur, eae ſint neceſſe eſt, quae poſſint mortalium cuique tradi. *Veritas tua, DOMINE, nec mea eſt,* inquit AVGVSTINVS, *ſed omnium, quod ad eius communionem publice vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea. Nam quisquis id, quod tu fruendum omnibus proponis, ſibi proprie vindicat, et ſuum eſſe vult, quod omnium eſt, a communi propellitur ad ſua, id eſt, a veritate ad mendacium.* *) Quod ſi ſtatuere velis, veram religionem non eſſe omnium hominum et locorum, ſed quorundam, rationibus firmiſſimis non modo reclamabis, verum ſacra etiam non *gradu*, vt loquuntur, ſed re ipſa a ſe diuerſa et abhorrentia ſimul vera et recta eſſe poſſe ſtatues. Religionis antiquae cauſſam interponent quidem, huius vero partes praecipuas eas fuiſſe meminerint, quas poterant omnes homines doceri. DEVM eſſe, eumque ſolum et effectorem rerum omnium, et rectorem, miſſurum olim redemtorem generis humani, cuius aduentum praedixerunt vates inſolitis dotibus ac muneribus ornati, quorum princeps MOSES leges promulgauit, et populo, cui ferebantur, et ſaeculo, et terris regionibusque, quas occupauerant, et ipſis promiſſionibus diuinis accommodatas, quis fuit, qui animo haec non comprehendiſſet?

*) Confeſſ. L. II. c. 25.

diſſet? neque ritus illi et cerimoniae religionis ita fuerunt propria, vt ſeiungi ab ea non potuiſſent. Sacrificia quidem, diesque feſtos, et cunctas illas cerimonias non eſſe eam, quae ſibi placeat, religionem DEVS ſaepe teſtatus eſt. — — — *Audi, mi popule, dum loquor, Iſraelita, dum te commonefacio, DEVS ego tuus. Non equidem te propter ſacrificia tua, propter tuas hoſtias reprehendam. Non tauros ex tua domo, non hircos ex tuis accipiam caulis. Nam mea ſunt omnia ſilueſtria animalia, omnes in mille montibus beſtiae. Omnes ego montanas volucres recognoſco, terreſtresque beluae me penes ſunt. Quod ſi eſurirem, non id tibi dicerem, meus quum ſit mundus, et quidquid in eo continetur* — — — *Quorſum mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum? ſatur ſum holocauſtis arietum, et adipe pinguium* — — *ne pergitote vanum offerre munus, ſuffitus abominationi mihi eſt* — — *nouilunia veſtra, et ſtatas ferias veſtras odi* — — *lauate vos* — — Non in externis rebus, multo minus in iis, quae cum humana ſocietate exiguum, aut nullum paene commercium habent, verum in ſenſibus atque conſiliis ad DEI voluntatem compoſitis, et animi vitaeque integritate ſita religio eſt.

Ex quo intelligitur, *non omnino ſpectatiuam*, nec artium ſimilem, quae delectationis, aut captandae gloriae cauſſa addiſci

ſolent, ſed moderatricem animorum, cogitationum, ceterarumque rerum omnium, aequae mentis in aduerſis rebus, et in ſecundis a nimia laetitia temperatae cuſtodem eſſe. Quod ſi aliter ſe res haberet, quid eſſet, quod nos ad colendam religionem impellere poſſet? vt honeſtus quisque eſſe poteſt, licet matheſeos ſit ignariſſimus: ita etiam eſſet ſine religione. Neque digna eſſet laude, qua matheſis digna eſt, quae et litteris, et vitae communi, rebusque ciuilibus atque militaribus praeclaram vtilitatem adfert, ſi illa e contrario otii conſumendi gratia hominibus data eſſet, vt haberent, quo tempus fallerent.

Neque igitur poteſt, ſi hominum eſt, quibus ea, quae nobis omnibus, data ſors eſt, noſtro quidem iudicio *vlli mutationi obnoxia eſſe.* Per praeſens ſaeculum, ſiue *αἰῶνα* dicere malueris, quoad quae nunc eſt, gentis humanae conditio durauerit, natura religionis eadem atque poteſtas, et dogmata principalia eadem erunt. Quod tam ex eo intelligitur, quod de religionis amplitudine ſupra dictum eſt, quam ex hoc etiam, quod DEVS alioquin miracula miraculis augeret, aut homines dubitare pateretur, quando abrogata antiqua, noua religio imperata ſit. Poteſt igitur in rebus, quae ex libris ſacris ſolis hauriuntur, neque creſcere, neque mutari,

nisi

nisi se DEVS hanc mutationem approbasse publice declararit.

Quae verae religioni vindicauimus, haec cuncta *Christianae* propria sunt. AVCTOR eius discipulos suos *vadere* iussit *doctum* OMNES *gentes*, atque PAVLLVS, *extitit*, inquit, *diuina beneficentia cunctis hominibus salutaris*, *quae nos erudiat*, *vt impietate*, *mundanisque abiectis cupiditatibus frugaliter et iuste pieque viuamus*. Quis est, qui tueri haec officia non possit? quicumque fidem seruat et amorem, Christianus est. Quisque vero seruare potest, siue in Lybia natus sit, siue in Siberia, mansueta aut barbara gente, dominus aut seruus fuerit, siue cum Archyta mare, et terram, et numero carentem arenam metiatur, atque aerias tentet domos, et animo rotundum polum percurrat, siue litterarum expers atque rerum omnium ignarus sit. Neque genus est hominum, neque aetas, neque sexus, cui recte viuendi rationem non monstret, aut misero solatium non praebeat. Omnis eius uis enim in regendis animis ac moribus sita est. *Vt corpus*, inquit IACOBVS, *absque spiritu mortuum*, *ita fides sine operibus mortua est*. Cui certe non refragatur PAVLLVS, qui quidem *sine merito sola fide saluari* homines docet, simul vero cum Romanos tum Galatas de seruandis omni pietate officiis quam grauissime admonet.

Ipſe adeo ſacrorum noſtrorum AVCTOR: *non quisquis*, inquit, *mihi dicet, Domine, Domine, intrabit in caeleſte regnum, ſed qui fecerit, quod vult meus pater, qui eſt in caelis.* Quod ſi denique ſacras litteras ſequi lubet, neque negari poterit, ab omni mutatione Chriſtianam doctrinam alieniſſimam eſſe. — — — *verum etiam ſi vel caeleſtis angelus vos diuerſum doceat ab eo, quod vos docuimus, eſto deteſtabilis. Vt iam diximus, nunc iterum dicam: ſi quis vos diuerſum docet ab eo, quod accepiſtis, eſto deteſtabilis.* Haec quidem PAVLLVS ad Galatas. Quod ſi immutanda religio eſſet, vel inuentis augenda, aut noua dogmata patefacta eſſent, aut humana auctoritas diuinam aequaret: vtrumque vero abhorret, alterum enim adfirmare delirantis atque amentis, alterum dementis eſt. Sub veteri teſtamento fundamentales, inquiunt, non erant, qui nunc ſunt articuli. At tum non erat religio Chriſtiana: de hac loquimur. Haec ſunt, quae de religionis natura praemittere voluimus, vt ex illis, tamquam ſuis cauſſis Fundamentalium Articulorum notae eo melius intelligi poſſint. Alii enim non erunt, quam quos eſſe religionis natura patitur, cum qua quotquot pugnant, neque conciliari poſſunt, ſunt ex fundamentalium numero eiiciendi.

Vt fundamentum ſuum aedes habent, cui moles impoſita eſt, et a quo tanta quanta

eſt

eſt fertur, ac ſuſtinetur; ſic in diſciplinis etiam ad formam redactis, et in ordine dogmatum ſunt quaedam initia quaſi et fundamenta, quibus cetera conſtituuntur. Theſis illa, quam *principium contradictionis* vocant philoſophi, fundamentum eſt omnis cognitionis humanae, quo concuſſo nihil eſt, quod certum ſit, vt neque verum et mendacium, lucem et tenebras, alba et atra diſcernere poſſis. Theologiae naturalis fundamentum eſt, *eſſe DEVM*, quod ſi infirmum eſſet, theologia omnis ſomnium eſſet atque vanitas. Chriſtianae itaque doctrinae eiusmodi ſint quoque neceſſe eſt initia, quae ceterorum dogmatum rationem habeant, et ex quibus aeſtimanda ſint cetera, quae doctoribus ſtatuere placuerit. Ex hoc genere ea dogmata eſſe, nos equidem exiſtimamus, quae a nemine poſſunt negari, qui Chriſtianus eſſe vult, Chriſtianae itaque religionis propria adeo ſunt, vt ab ea diuelli nulla ratione poſſint: at ea, ex quorum negatione fundamentalium negatio recte colligitur, in fundamentalium numero collocare propterea nolumus, quod ea perſpicacia pauci ſunt homines, vt, quid ex quaque re aut opinione effici et cogi poſſit, videant. Fuerunt, qui ex DEO res omnes emanare docuerunt, licet impium, qui ex opinione illa confici poteſt, Spinozae errorem auerſati ſint. Quod ſi haec ab illis diſtinguere ac ſeparare lubet, haec quidem

ad

ad alterum, illa ad primum ordinem referenda ſunt: nos vero de articulis primi ordinis, qui fundamentales recte vocantur ſoli, diſputabimus. At multae extiterunt controuerſiae, quod in aliena illa ſententia fuerunt, quidquid non ſit problema, id eſſe articulum fundamentalem. Multae ſunt ſanctioris doctrinae partes, quae neutrum ſunt, IEſum, dum puer eſſet, fugiſſe cum Ioſepho in Aegyptum, neque problema eſt, neque articulus fundamentalis. Male igitur praecipiunt, qui ita quemque maxime ad ſcepticiſmum inclinare docent, vt quisque problematum et fundamentalium dogmatum diſcretionem maxime negligit. Heu miſeros homines! Diſceptant de religionis eſſentia, in quam diſceptatio ipſa peccat.

Natura eorum dogmatum, quae fundamentalia vulgo dicuntur, propius ac curatius conſiderata, ea poſſe quam *maxime eſſe compoſita* intelligimus, vt plura alia adeo in ſe contineant, et quaſi ambitu ſuo complectantur. Exempla in promtu ſunt. *Haec eſt*, inquit IEſus, *vita aeterna, ſi te ſolum cognoſcant verum Deum, et quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* De cognitione ſola loquitur, de practica vero, quae fides eſt: iniicit modo mentionem legationis ſuae, ſed mortem certe reditumque ex inferis non excludit, quibus legationis ſuae auctoritatem quam luculen-

culenter comprobauit. Non poteſt quisquam fidem habere, niſi cognoſcat verum DEVM, et, quem miſit, filium: neque IEſum legatum DEI eſſe affirmabit, qui mortem eius reditumque negauerit. — *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt veſtra fides.* Reditus ex inferis eſt itaque fundamentum fidei, quem qui vere accidiſſe exiſtimat, is certe IEſum mortuum, et Filium DEI, et ſalutis noſtrae reparatorem eſſe credet. — — *Statueram nihil ſcire apud vos, niſi Ieſum Chriſtum, eumque crucifixum.* In ſanctam ſcilicet crucis ſcientiam cetera concluſa ac comprehenſa eſſe, docet PAVLLVS, vt homo, qui de morte redemtoris recte ſentiat, non deliret in eo, quod caput fidei eſt.

Dari articulos fundamentales et religionis natura comprobat, et ſacri ſcriptores aperte teſtantur. Quis eſt, qui neget, non eſſe ad ſciendum aeque neceſſarium, quot filios habuerit Iacobus Iſaci filius, aut quae nomina habuerint Apoſtoli, aut quo mortis genere perierit perfidus Iudas, quam ea ſunt, quae DEVS ſalutis noſtrae gratia fecit? PAVLLVS quidem: *lac vobis bibendum dedi,* inquit, *non cibum.* Non omnia igitur omnes docendi ſunt: ſunt alia, quae tenere debent omnes, alia vtilia quidem, ſed non omnino neceſſaria ſunt. — *Ego pio Dei beneficio in me collato, vt ſapiens architectus fundamentum*

ieci:

ieci: alius superstruit. Sed videat quisque, quomodo superstruat. Nam fundamentum aliud iacere nemo potest, praeter id, quod iactum est, qui est Iesus Christus. — — — — Alia igitur res est fundamentum, alia vero, quae illi superstruitur. Qui molem superstruunt, siue illa manserit, siue combusta fuerit, manebunt, licet alteri nullum periculum imminuerit, alter ex eo tamquam ex igne euaserit, vterque saluabitur, si modo inhaeserit fundamento.

Quum non facile quisquam negauerit, esse quasdam Christianae doctrinae partes ceteris grauiores: disquirendum nunc erit, ex quo intelligi possit, vtrum dogma aliquod fundamentale sit, an ad religionis fundamentum non pertineat, in qua quaestione resoluenda arx disputationis nostrae sita est. Disputabimus vero de iis solum dogmatibus, quae *positiua* vocari solent. Fundamenta quidem religionis naturalis Christianae simul fundamenta sunt, de illis tamen disputare philosophorum est. At positiua dogmata aut diuinam, aut humanam fidem sequuntur: haec sectarum, illa verae ecclesiae propria sunt. Articuli fundamentales, in quorum naturam inquiremus, partes Christianae doctrinae, non humanae disciplinae, neque placita philosophorum sunt. De notis vero, quas proferemus in medium, id tenen-

nendum eſt, non dogmata, in quibus vna aut altera nota fuerit, ſed illa, in quibus omnes ſunt, fundamentalia eſſe.

Primum igitur, ex quo dogma quoddam fundamentale eſſe cognoſci poſſit, hoc eſſe ſtatuimus, *vt ſit in ſacris litteris aperte et dilucide expoſitum.* Praeter has enim litteras neque nouimus legem fidei, neque accipimus, ex iisque ſolis theſes principales omnes ſumendae ſunt. Quando vero Chriſtiana religio omnium hominum temporumque eſt, cunctis, quantacumque eorum diuerſitas ſit, conuenire, ab iisque, quascumque etiam aut acceperint a parentibus, aut ſibi ſumſerint vltro de ceteris rebus ſententias, intelligi debet; non poſſunt fundamentales articuli a ſacris ſcriptoribus non aperte adeo tradi, vt eos etiam ignariſſimus homo, rudiſque litterarum populus aſſequi poſſint. IEſum mortuum, excitatumque eſſe, atque aſcendiſſe in caelos, vel puer omnis doctrinae expers, ſi legere poteſt, nec omni ſenſu caret, ex ſacris litteris facile cognoſcet. In eorum autem ſententiam, qui *conſequentias*, quas vocant, veras et legitime coactas fundamentalia dogmata in ſe continere poſſe docent, non temere eundum eſſe arbitror. Non quisque enim acutus adeo eſt, vt de argumentorum vi ac poteſtate, aut de argumentationis ratione et legibus iudicare poſſit, vel

vel multo etiam minus, ſi alterutra theſium, ex quarum comparatione conficitur aliquid, philoſophica fuerit. Sin illarum vtraque aperte traditur in ſacris libris, dogma, quod ex illis cogitur, ſi ceteras fundamentalium articulorum notas omnes habet, horum ordini alteri adiungendum eſſe cenſeo. ROMANVS TELLERVS: *Nihilo tamen ſecius*, inquit, *ita concludere tuto licet: quidquid non manifeſte, quidquid non pluribus locis — — in ſcripturis legitur, id non eſt fidei ſpecialis, ſeu ſaluificae articulus fundamentalis. Lubenter quidem et hoc largimus, quae in quauis controuerſia legitimam per conſequentiam ſacro ex codice deriuantur, genuinam de controuerſa materia ſemper ἀποδεικτικῶς probare opinionem — — tamen diſſentienti viro nequaquam — — vitio vertendum eſt — — ſi quando ipſe* conſequentiam *perſpicere non valeat, nec obtrudendum ipſi, vt illam conſequentiam intelligere neceſſario diſcat.* *)

Quae

*) In epiſtola ad I. G. PFEIFFERVM *de eo, quod iuſtum eſt circa determinanda problemata theologica* - - TVRRETINVS vero et PICTETVS ſibi contradicunt ipſi. Conf. Illius dilucidationes. Lugd Bat. MDCCXLVIII. ed. T. III. diſp. de articulis fundamentalibus p. 43. et p. 48. Huius vero Theol. Chriſt. T. I. L. I. c. XXXII.

Quae igitur dogmata non diſertis verbis in ſacro codice traduntur, licet non ſolum a viris doctiſſimis ac honeſtiſſimis defendantur, verum veriſſima etiam ſint, fundamentalia non ſunt. De reditu ab inferis, et de mentibus humanis poſt corporum mortem multa in ſacris libris commemorata non ſunt, quae curioſi homines noſtri ſcire cupiunt; vt neque de rerum omnium, quae reſtituendae humanae ſalutis cauſſa geſtae et factae ſunt, modo, ratione ac cauſſis, ſapientiſſimo certe conſilio, aperte, diligenter et enodate ſcriptum eſt: quae igitur homines ex ſuo ingenio addiderunt, aut vt fit, coniectando ſaepe, et quae dicta erant, ad ſuam mentem detorquendo, ex libris ſacris confecerunt, fundamentalia non ſunt. *Fallitur*, inquit MELANCHTHONVS, *quisquis aliunde Chriſtianiſmi formam petit, quam e ſcriptura canonica.* *) PAVLLVS: *hoc autem vobis declaro, traditum a me euangelium non eſſe humanum. Nec enim ego ab homine accepi, aut didici, ſed patefaciente Ieſu Chriſto.* Quin ſummus ille etiam gentis noſtrae doctor: *fruſtra me venerantur humanorum praeceptorum doctrinam docentes.*

Neque *in verbis et dictionibus* fundamentalis articulus ſitus eſt. Quod ſi ab hominibus inuenta ſunt, horumque auctoritate et legibus aduerſus aliorum impugnationes munita, probare ea atque tueri non magis

 tene-

*) Loc. Comm. MDXXI. p. 2.

tenemur, quam dogmata humana, quae a diuino magiſtro eiusque diſcipulis tradita non ſunt. Multo igitur minus ea nomina ac verba neceſſario aſſumenda ſunt, quae plerique homines ſine ſenſu ac mente pronuntiant, aut de quornm ſignificatione inter doctiores adhuc lis eſt. Crimen eſſet nulla re expiandum, ſi quis timore hominum, aut amore impulſus, tamquam vera tueri vellet, quae dubia, vel a vero aliena eſſe teſtaretur conſcius ſceleris animus. Ne omnes quidem dictiones, quibus ſacri ſcriptores vſi ſunt, ad articulorum eſſentiam pertinent. Grauiſſima dogmata verbis minus propriis expreſſa ſunt, quorum proprius ſenſus eruendus eſt: loquendi formulae illae vero repetitae ab antiquis ritibus, et ad priſci aeui genium accommodatae veſtis inſtar ſunt, quam tenere nil refert hominis, qui corpus tenere vult. Quae autem ſit cuiusque vocis prima et propria ſignificatio intellectu erit facile, quod nullum eſt axioma principale, quod non aliis in locis verbis propriis comprehenſum ſit. Habemus patronos noſtrae ſententiae ſummos viros, non ſolum IOANNEM et CONRADVM. BERGIOS, lumina quondam ciuitatis noſtrae, verum LVTHERVM etiam, et CALVINVM. Horum quidem ſententiam ſupra in altero de fide humana libro expoſuimus: IOANNES BERGIVS vero in *regula Apoſtolica de formandis in religione iudiciis: quod ſi*, inquit, *Sociniani*

niani et Ariani in verbis ſcripturae, iisque non mutatis neque mutilatis ſine lite et diſceptatione acquieſcerent, neque quidquam ex interpretationibus, rationisque ſuae conſequentiis praeter et contra fidei articulos adiungerent, eam de his hominibus, quamuis interpretationibus noſtris aut humanis formulis vti nollent, ſententiam ferre nefas eſſet. Hem! quem clamorem ederent, ſi quis noſtrum in eam ſententiam locutus eſſet. CONRADVS *in praxi Catholica,* qualis in DEO ſit ſpecies aut modus vnitatis Scholaſticis Theologo-Metaphyſicis diligentius excutiendum relinquit.

Ob rationes ſupra allatas ex fundamentalium articulorum numero excludenda ſunt, *quae facilia adeo intellectu non ſunt, vt a quouis poſſint intelligi.* Huc pertinent, quae tum demum perſpiciuntur, cum multorum rituum narratio, aut antiquarum legum explicatio praemiſſa eſt, ea praeſertim, quorum veritas non patet, niſi ex longa argumentorum ſerie, et vt breui omnia praecidam, quotquot eruditionem reſipiunt, et ex humanarum diſciplinarum riuulis hauſta ſunt. Ex hoc genere tantum non totus locus de eccleſia eſt, multa in doctrina de ſacramentis, immo non pauca, quae de ſalute et redemtione peccatorum praecipi ſolent. Ego equidem de his rebus omnino non eſſe diſputandum, non puto, opto vero, vt horum praeceptorum neceſſitatem vrgere, atque pueris, puellulisque, atque hominibus

ab artium litterarumque ſtudio alieniſſimis tradere deſinant. Fac gregem puerorum, qui praeter aratorum ſermones de bobus, equis, vectigalibus, rebusque ſimilibus, aut aniles fabulas, vel ad ſummum preces memoriter recitatas, nil paene audiuerunt, qui vix legere, et nomina ſua ſcribere poſſunt, neque vllius rei notionem habent, niſi earum, quae in ſtabulis ſuis, aut in vicinia ſunt, mitti ad ſacrorum miniſtrum, iisque ab hoc viro, quantumuis erudito, et perſpicue omnia docente, et, quae ſunt de foedere cum DEO, de ſacerdotibus et ſacrificiis, de vi et efficacia ſacramentorum, de diſciplina ſacra tradi; ſtupebunt in omnibus, poſt crebras repetitiones comprehendent animo verba, rem non comprehendent, ſed illis vocibus aut nullam tribuent, aut alieniſſimam poteſtatem. Enimuero fieri poſſe debet, vt neglecto et indoctiſſimis moribus homini tradatur religio, cui ſcilicet patet etiam ad coelum aditus.

Nullum igitur dubium eſt, quin dogmata, *quae intelligi nequeunt, niſi ante philoſophorum antiquorum aut noſtrorum decreta expoſita fuerint*, temere ſint in fundamentalium articulorum numero poſita. Haec enim non aſſequitur, qui philoſophicae ſcientiae expers eſt: religio vero non philoſophis ſolum, verum vniuerſo generi humano neceſſaria eſt. Similes ſunt indocti, dum de iſtis, quarum vim ignorant, elegantiis loquuntur, machi-

nis,

nis, quae ſonos edunt et efficiunt, quos non audiunt ipſae. Vt interdum in coetibus ſacris accidit, vt plebecula clara voce canat Kyrieleiſon, Halleluiah, hisque ſimilia, licet vim vocum ac poteſtatem ignoret; ita garriunt viri, quae pueri didicerant, et quid dicant, neſciunt ipſi. Quaecumque res vero non intelligi niſi ab eruditis poteſt, ea nullo modo poteſt ad caput religionis catholicae pertinere. Quid quaeſo cogitarent baiuli et aratores, immo politiores illi homines, qui in aulis ſunt, feminaeque vel optime educatae, vbi nos audirent diſputantes *de bonitate actionum materiali et formali*, *de abſtracto et concreto*, *de qualitate peccaminoſa*, *de qualitate reali per actiones reales realiter producta*, *de toto rei conceptu quidditatiuo?* Docte dicuntur; non nego; ob eam rem vero ad fundamentum non pertinent. Quicquid ignorauit PAVLLVS, ignorarunt PETRVS, IOANNES et IACOBVS, nos quoque ſalua fide ignorabimus. Si iudicium ſummorum virorum audire lubet, audi alterum erudititiſſimum theologum, alterum philoſophorum ſua quidem aetate facile principem. MELANCHTHON quidem *): *proinde non eſt*, inquit, *cur multum operae ponamus in locis illis ſupremis de Deo, de vnitate, de trinitate Dei, de myſterio creationis, de modo incarnationis. Quaeſo te, quid aſſequuti ſunt iam tot ſaeculis ſcholaſtici theologiſtae, cum in his lo-*

 cis

*) l. c. p. 3.

cis ſolis verſarentur? nonne in diſceptationibus ſuis, vt ille ait, vani facti ſunt, dum tota vita nugantur de vniuerſalibus, formalitatibus, connotatis, et neſcio quibus aliis inanibus vocabulis, et diſſimulari eorum ſtultitia poſſet, niſi euangelium interim et beneficia Chriſti obſcuraſſent nobis illae ſtultae diſputationes. — — — — LEIBNITIVS vero: *) *paſſim homines metaphyſicas voces neceſſitate quadam adhibent, et ſibi blandientes intelligere credunt, quae loqui didicere: nec vero ſubſtantiae tantum, ſed et cauſſae et actionis, et relationis, ſimilitudinis, et plerorumque aliorum terminorum generalium notiones veras et foecundas vulgo latere manifeſtum eſt.*

Augetur articuli fundamentalis auctoritas, *quem neceſſarium eſſe adfirmant ſacri ſcriptores, ac quocum coniungitur aeternae ſalutis promiſſio.* **) Chriſtianus enim certe eſt, qui in bibliis et caelis is eſſe declaratur. IESVM eſſe fundamentum fidei, (1 Cor. III. 11.) et legatum DEI, (Io. XVII. 3.) eumque in carne veniſſe (1 Io. IV. 2. 3) et excitatum eſſe ab inferis, (Rom. X. 9) IESVM eſſe

*) In Act. Lipſ. MDCLXXXIV. Menſ. Mart. p. 120.

„**) TELLERVS l. c. Quaecumque theſis, inquit, nec clare in ſcripturis propoſita, nec adiectis voculis credendi neceſſitatem, vel influxum in ſaluationem aeternam determinantibus aſſerta — — — illa theſis — — non niſi a ſuperſtitioſo theologo fundamentalibus annumeranda.

esse CHRISTVM, (1 Io. II. 22. 23) fidem esse practicam (Io. III. 36) credet, quisquis Christianus esse vult, quod vt necessaria commendantur, et aeternae vitae promissionem habent, aut haec negantibus proposita poena est. Dogmata vero, quae non omnes notas ceteras habent, quibusque neque illa necessitatis assertio, neque salutis promissio adiuncta est, fundamentalia non sunt. Haec enim caussa ex iudicio DEI solo aestimanda est. Quod si tu salutem Christianorum, de ceteris enim nunc non loquimur, opinionibus ex tuo ingenio ac arbitrio effictis alligas, vestigia premis pontificis Romani, et monstri illius similis es, ex cuius atrocibus cruentisque faucibus vt se posterosque suos eriperent, et in libertatem vindicarent, neque fortunis, neque opibus, neque honoribus, ne vitae quidem pepercerunt religiosissimi maiores. Diuini consilii ratio, quam aperte docere, atque in summa luce collocare noluit DEVS, quidquid laborent vana ingenia et curiosa, salua fide ignoratur. Primi quidem Christiani ab obscuris quaestionibus omnibus abstinuerunt. Si quis enim ad Christianorum sacra transire vellet, publiceque adfirmaret, *se credere in filium DEI*, quod nostra quidem sententia nihil aliud est, quam credere, IEsum esse eum, quem se esse dixerat ipse, in sacram communionem receptus est.

Quum religio Christiana tanta quanta est ad flectendos hominum animos, et ad pietatem in DEVM honestatisque amorem traducendos, ac dulcissimo afficiendos solatio, composita est, *principale dogma aliud esse non potest quam quod ad virtutis studium homines excitet.* In lubrico enim et instabili fundamento molem locare, imprudentis esset. Aut tu vnquam accidere posse putas, vt ex inualido et demortuo semine laeta proueniat seges? eiicientur ergo ex fundamentalium articulorum communitate, qui aut nullam, aut minimam certe in coercendos animi motus vitamque regendam vim habent. Num mercenarius quilibet philosophus fiet aut criticus, linguas addiscet, in historiam et chronologiam incumbet, et eam sibi parabit eruditionem, qua famosissimi illi admirabilium opinionum inuentores ornati sunt? quam in admirationem traducerentur, si forte in subtiles et spinosas nostrorum hominum de decretis DEI disputationes inciderent Sinenses? Vtrum scientia media in DEO sit, quis sit omnipraesentiae modus, quomodo e sepulchro exierit IESVS, millia hominum multa aut noluerunt disquirere, aut non potuerunt, licet forsan fidem sanctius seruarint, quam superbi inanium argutiarum architecti. Possunt etiam nonnunquam magna esse ad honestatem incitamenta, quae impune ignorantur. Astronomia equidem singularem concitat summi rerum conditoris reueren-

uerentiam, verum sexcenti sunt homines, qui DEVM ex animo venerantur, licet nesciant motum siderum, neque caelestibus illis orbibus moueantur.

Ex iis, quae adhuc disputauimus, facile quidem intelligetur, *dogmata fundamentalia non esse, quae in vno modo aut altero sacrarum litterarum loco traduntur.* Illud enim, ex quo tot tantorumque dogmatum aliorum veritas pendet, quod ad emendandos mores inprimis valet, quod necessarium esse vel viri diuini docuerunt ipsi, non potest non crebro commendari. Neque credibile est, licet de ea re probabiliter disputari posse non pauci existimaturi sint, PAVLLVM Romanis aut Galatis tradidisse fundamentale dogma, ceteris Christianorum coetibus non tradidisse. Quod si res se aliter haberet, efficeretur ex eo, Christianae religionis fundamentum non semper idem fuisse, aut eam posse teneri, licet ignoretur id, quod caput eius est: at vtrumque abhorret, et a ratione ac veritate alienissimum est. Quare ego equidem non diffiteor, me et ob hanc et ob alias rationes *Spiritus Sancti processionem* in fundamentalium articulorum numero non ponere. Num perspicua, immo num *orthodoxa*, id est, receptis ac publica auctoritate munitis opinionibus consentanea *processionis* definitio est, quando eam dicunt esse *Spiritus Sancti essentiae aeternam emanationem, qua Pater et Filius suam essentiam communicando*

Spiritum Sanctum ex ſe ſpirant, ſeu qua Spiritus Sanctus totam eſſentiam Patris et Filii eandem numero veluti per ſpirationem accipiendo exiſtit. Ego vero acutus adeo non ſum, vt emanationem, et quid ſibi velit ſpirare, aut per ſpirationem accipere, animo poſſim comprehendere. Lugeo vices meas: quocumque vero animo me et cogitatione conuerto, non intelligo elegantias iſtas, atque admirabiles ſubtilitates. At ſcripſerat vir ceteroquin meritiſſimus, Godofredus Wegnerus. Erunt credo, qui nobis hiſtoriam ſacram opponant. At pauci ſunt euentus, qui ad fundamentum pertinent, atque hi ab auctoribus ſacris ſaepius commemorantur. Eſſe mundum hominumque genus a DEO conditum, receſſiſſe Adamum ab integritate ſua, IESVM natum, mortuum, excitatum eſſe, centies tradiderunt: ceterae narrationes, quae rarius leguntur, eſſentiam religionis non attingunt. Alii forte dicent, ex ſententia noſtra confici, Chriſtianum hominem non omnibus officiis adſtrictum eſſe, quum virtutes quaedam vix ſemel atque iterum ab Apoſtolis commendentur. Verum enimuero de credendis praecipue, non de agendis, neque de moralibus praeceptis diſputamus, quae omnia ad religionis eſſentiam pertinent, quibusque vacare nemo debet. Fieri autem omnino non potuit, vt in vno, eoque exiguae molis libello omnia enumerentur officia, quum innumerabiles paene hominum coniun-

iunctiones sint. Sufficit, DEVM pro sapientia sua vniuersum hominum officium in amore complexum esse, legesque tulisse late adeo patentes, vt officia omnia comprehendant. Si quis est φιλανθρωπος, nunquam violabit amicitiae iura: est vero φιλανθρωπια maior atque nobilior, liberoque homine dignior, quam amicitia, quae deserendi ius humanae communitatis dare nemini debet. Quicumque DEVM ex animo amat, is etiam ad seruanda cetera officia paratus erit: longe alia ratio est dogmatum. Tenent multi fundamentalia, qui aut negant cetera dogmata, aut nesciunt. Essetne vero audacissimae impietatis, homines, qui nesciunt, quo die IEsus sacram coenam celebrauerit, quo corpore vsus sit post restitutionem in vitam, aut quid sibi hoc velit, quod assideat ad dextram patris, ex Christiana ciuitate eiicere, et rei capitalis reos facere? addo officia primaria fidei et amoris, quae cetera in se continent, in sacris litteris quam frequentissime commendari, et hac in parte cum praecipuis dogmatibus conuenire.

Negamus porro *articulum fundamentalem esse, quem antiqui Christiani non crediderunt.* Quod quidem non ita intelligendum est, vt id sumserunt Genevensium theologorum nonnulli, articulum non esse fundamentalem, quem vnquam homo aliquis negauerit. Longe enim absumus a Vincentii Lirinensis sententia, qui in suo aduersus se-

ctas

ctas libro, quem *Commonitorium* inſcripſit, ex hoc docuit elucere, vtrum articulus aliquis ſit fundamentalis, ſi *ſemper*, *vbique et ab omnibus ſit creditus;* verum hoc volumus, dogma fundamentale, neque humani ingenii foetum, neque primis Chriſtianis ignotum fuiſſe. Quod ſi fieri potuiſſet, vt eſſet Chriſtianorum religio longo tempore poſt conſtitutionem ſuam articulis fundamentalibus aucta, neque catholica, neque ſemper eadem fuiſſet. Nobis equidem, quod imbecilles homines, qui labi facile ex errore poſſunt, quam Filius DEI virique diuini tradiderunt, religionem emendare velint, perficere, atque nouis adeo inuentionibus augere, alieniſſimum ſemper viſum eſt. Num igitur IESV, eiusque Apoſtolis ſagaciores fuerunt Platonici et Scholaſtici? quis poteſt aliud fundamentum iacere, praeter id, quod iactum eſt? vel eae etiam opiniones ab hominibus euangelio additae, quae maiorem pietatem commendare videntur, ſuſpectae nobis ſunt. Religio enim a prima inde origine ſua, veritatis ſanctitatisque magiſtra fuit. *ἐπιγνωσις ἀληθειας της κατ' εὐσεβειαν ἐπ' ἐλπιδι ζωης αἰωνιου*; qui vero deſerunt fontem, ex quo primi Chriſtiani omnia hauſerunt pietatis ac ſolatii praeſidia, et ſe recipiunt ad eum, qui ſitit ipſe, mittunt ſeſe in periculum triſtiſſimorum errorum, qui ad *ἀπιϛιαν*, et turpiſſimum quodque ſtultitiae genus viam ſolent munire. IEſum rediiſſe ab inferis, lon-

longe grauissimum doctrinae caput est: ex quo vero si rite effici posset, Iesum exiisse, antequam lapis deuolutus esset, nos equidem adhuc errore capti fuissemus. In sacro codice nulla fit miraculi huius mentio, neque quisquam antiquorum, quod nos sciamus in illa sententia fuit.

Optandum igitur est, vt nunquam obliuiscerentur, quantum distent antiqua dogmata, quae omnibus hominibus tradenda, et ab omnibus, qui audiunt, assumenda sunt, a ceteris, quae ad eruditos modo homines pertinent. Illa negare non potest, qui Christianus esse vult: haec forsan ignorare non poterit, qui velit nomen theologi, aut viri docti tueri, ignorabit autem, immo negabit Christianus. *Nulla caussa est*, inquit IOANNES MEISNERVS, *) *cur hodie alios nouos, ac prioribus saeculis incognitos, et inauditos articulos addere velimus: si enim ea dogmata, quae olim et ab ipsis ecclesiae incunabulis tradita sunt, illis qui prioribus saeculis vixerunt, ad salutem sufficere potuerunt, etiam nobis satis erunt, vt per ea salutem habeamus.* Neque dubium est, quin doctores, quorum ὀρθοδοξια explorata est, a se adeo abhorreant inuicem, vt homo, qui eorum placita et συςηματα paullo diligentius recognouerit, discrimen dictionum et formularum, quibus vtuntur, nisi forte eadem sint disciplina egressi, et in vnius iurarint verba magistri, vehementer miretur.

Litte-

*) In Irenico Duraeano Sect. II. §. 26.

Litterarum ac diſciplinarum vis ſemper magna in illa συςηματα fuit, quae ſibi de ſacris rebus effinxerunt ipſi. Philoſophiae Platonicae et Peripateticae ea fuit auctoritas, quae Carteſianae et Wolfianae eſt ac eſſe incipit Cruſianae. Controuerſiae illae igitur de *modo omnipraeſentiae* ad fundamentum *non pertinent*. Apoſtoli eum non explicarunt, horum vero diſcipuli ignoraſſe, neque de eo vnquam diſputaſſe videntur. Vtinam his non ſapientiores, pietate pares eſſent! alter rauca et imperioſa voce dictatoris inſtar, cuius edictum pro numine obſeruandum ſit, turpis eos erroris accuſat, qui praeſentiam in operationibus ponunt; alter his ſublatis illam ſimul tolli autumat; vtcumque vero ſe res habeat, et vtercumque erret, non in religione, ſed in philoſophia alucinatur. Quod vtrum de iis etiam iudicandum ſit, quae tot lites atque controuerſias de ſacra coena excitarunt, penes prudentiores atque ab omni partium ſtudio alienos homines arbitrium eſto. Hiſtoria equidem *) „omnes Chriſtianos de „modo et ratione praeſentiae corporis et „ſanguinis Chriſti ad nonum vsque ſaeculum „varie ac inconſtanter ſenſiſſe docet, neque „vllius concilii lege ſancitum fuiſſe, quid de „hac re credendum eſſet. Paſchaſium Radbertum primum docuiſſe, poſt conſecratio-

„nem

*) Conf. MOSHEMIVS in Inſt. Hiſt. Eccl L. IV. Helmſt. MDCCLXIV. Saec. IX. P. II. C. III. §. 19.

„nem in ſacra coena figuram tantum panis et „vini relinqui, verum autem corpus ſeu car„nem Chriſti adeſſe, et illam quidem carnem, „quae nata eſt de virgine, paſſa in cruce, re„ſurrexit de ſepulcro. *) Saeculo etiam vn„decimo varias de hac praeſentia ſententias „impune propoſitas adhuc eſſe: nec enim „quemadmodum ſentiendum eſſet, concilio„rum legibus fuiſſe definitum. Quid? quod ſunt viri doctiſſimi, et de republica ſacra bene meriti, qui non ita pridem non infitiandum eſſe putarunt, theoria, quam de ſacra coena veriſſimam eſſe docent ipſi, non vti potuiſſe Apoſtolos, primos ad coenam iſtam adductos conuiuas. „Neque ante ex„ordium belli Donatiani de diſcrimine, quod „disiungit perſonas diuinas, diſputatum, ne„que idcirco ab eccleſia praeceptum erat ali„quid. Multo minus formulae praeſcriptae „erant, quibus de hoc myſterio loquendum „eſſet. Itaque diuerſo modo doctores ſine „offenſione hanc rem explicabant — — „in Aegypto vicinisque regionibus plerique — — — hoc in dogmate ORIGENIS ſequebantur ſententiam. **) Deſcenſum ad inferos nouum articulum eſſe, non negant, qui ſaniori iudicio in rebus ſacris vti amant. Deſideratur ille in plurimis ſymbolis antiquis

*) Ibidem Saec. XI. P. II. C. III. §. 13.

**) Ibidem Saec. IV. P. II. C. V. §. 9.

quis *); coetus Aquileiensis primus eum saeculo quarto adhibuit **); neque fuit inter antiquos hac de re maior, quam nunc est inter doctores concordia. Non esse vero articulum illum fundamentalem, *formula* adeo *concordiae* declarat. De his igitur, ceterisque ex hoc genere in vtramque potest partem disputari, nec qui negat hostis religionis censendus est.

Quibus omnibus augetur, quae nobis nunquam non probata est *de fundamentalium articulorum paucitate* sententiae auctoritas. Non multis enim neque alte repetitis dogmatibus, multo vero minus philosophorum decretis spem vitae aeternae adiunxit, aut ea negaturis grauissima supplicia comminatus DEVS est. Neque id aliter in religione catholica fieri potuit, quoniam hominum litterarum omnino expertium ingens est multitudo Nullum est officium, quo vacare, aut quod, vbi eius opportunitatem habuerint, negligere salua religione possint; praeclara vero ac singulari scientia opus non est, quam quidem sententiam Apostoli etiam secuti videntur. Quem enim in sacram communionem recipiebant, eum neque multis for-

*) Vid. HOLTZFVSSII diss. de descensu Christi ad inferos. Frf. ad Viadr. 1699. et I. H. HEIDEGGERI diss. de symbolo Apostolico. Tig. 1679. §. 26.

**) IO. PEARSONII expos. Symb. Apost. Art. V. p. 400.

formulis exercuerunt, neque docuerunt ſua placita, ſed ex eo, an crederet in IESVM CHRISTVM, quaeſiuerunt. At qui factum ſit neſcio, vt quisque fundamentalium articulorum paucitatem tuitus infamia plerumque ſimul adſperſus ſit, quod quidem ACONTIO quoque accidiſſe videmus a CONRADO BERGIO, AMESIO, et GEORGIO PAVLLO aliisque honorificentiſſime laudato. *) Neque HOBBESIVS **), quantumuis admirabiles ceterae eius ſint opiniones, a vero omnino aberraſſe credendas eſt, qui theſin, qua *Ieſus eſſe Chriſtus* dicitur, *vnicum* articulum fundamentalem theoreticum eſſe, adfirmat, ſi modo addideris, *primarium.* Supra enim iam docuimus, poſſe articulum eſſe compoſitum, pluresque alios comprehendere. Theſis illa vero omnes continet articulos fundamentales, adeo vt dogma, quod ſalua illa theſi verum poteſt eſſe et falſum, fundamentale non ſit. Ad difficilem itaque quaeſtionem, quae multum diuque exercuit theologorum ingenia, *cur in ſacris libris fundamentales articuli non ſint preſſius definiti*, reſpondemus, definitum eſſe primarium, qui ceteros primi ordinis in ſe continet. De ceterorum numero quaeris? recte reſpondit TVRRETINVS, quem, ſi placet, conſule. ***) Quamquam eos non ſequor,

*) Conf. BAELIVS in Dict. Art. Acontius.
** De ciue c. XVIII. §. 5. 6.
***) l. c. p. 49.

quor, qui Apoſtolici ſymboli partes omnes fundamentales eſſe volunt; id tamen tueor, non eſſe articulum primi ordinis, qui in iſto ſymbolo non legatur, niſi illum exceperis, ſine quo ne ſymbolum quidem accipi poſſet, quo ſacri codicis auctoritas ſtabilitur. Idem ſentit HEIDEGGERVS, et ſymbolum Apoſtolicum *articulorum fundamentalium receptaculum* vocandum eſſe exiſtimat. *) MOSHEMIVS de eccleſia Saec. II. hanc fert ſententiam: *paucis adhuc continebatur praeceptis et ſententiis vniuerſa religio Chriſtiana, nec publice proponebant doctores alia dogmata, quam ea, quae ſymbolo, quod Apoſtolorum dicitur, comprehenſa leguntur. In tractandi ratione nihil erat ſubtile, reconditum, et a populari cognitione alienum.* **) Hem! quantum diſtamus a priſca ciuitate! Quam optabile eſt, vt noſtri homines ſimiles eſſent antiſtibus eius aeui, quos *pietate magis, quam ingenio et eloquentia inclytos fuiſſe*, refert vir ille plenus fidei. Vtinam vero Pinczouienſis ſynodi decretum ſequerentur verbi praecones, atque in orationibus ſacris coram indocta multitudine recitandis a formulis abſtinerent, quae neque in ſacro codice, neque Apoſtolico ſymbolo leguntur. In ceteris vero ſymbolis multa eſſe, quae non modo non fundamentalia, ſed ne vera quidem ſunt, vel acerrimi humanae auctoritatis aſſertores negare auſi non ſunt.

Quod

*) l. c. §. 6.
**) l. c. Saec. II. P. II. C. III. §. 1.

Quod ſi ex horum librorum nonnullis articuli fundamentales conſtituendi eſſent, magnus adeo eorum exſiſteret numerus, vt PAVLLVS, aut PETRVS, aut IACOBVS, ſi ad nos redirent, mirarentur doctrinam antiqua ſimplicitate ſua, quae confirmandae pietati feliciſſime reſpondebat, aut omnino, aut magnam partem exutam. *Ideoque circulus eſſet vitioſus*, inquit TELLERVS, *ex libris ſymbolicis determinare, hoc vel illud non eſſe problema, ſed fundamentale dogma. Denique in noſtris ſymbolicis coniunctim conſideratis omnia quidem extant fundamentalia dogmata: tamen id extra controuerſiam eſt, non omnia ſatis perſpicue ibi declarata eſſe.* *) Doctrinae ad arbitrium hominum, huiusque aut illius ſectae placita accommodatae innumeri poſſunt eſſe articuli fundamentales, Chriſtianae eſſe non poſſunt; ſectarum varii atque a ſe inuicem abhorrentes, Chriſtianae immutabiles ſunt.

Quod ſi exiguus adeo eſt fundamentalium articulorum numerus, neque acri odio vexandi ſunt homines, qui quidem a ſectarum fundamentis recedant, ſeruant vero fundamentum Chriſtianiſmi, neque digni ſunt, in quorum capita deorum, licet certe in re profana, et a fide alieniſſima profanorum more loqui, deteſtentur iram. Non enim LVTHERI, CALVINI, ZVINGLII, nec AVGVSTINI, ARMINII, aut aliorum hominum

*) l. c. p. 15.

minum asseclis, sed Christianis sempiternae felicitatis spes facta est. Neque olim quaeretur ex nobis, quodnam symbolum subscripserimus, cui sectae dederimus nomen, sed de re prorsus alia quaeretur. Quum praeterea prisci Christiani nobis exemplo sunt, qui non eiecerunt e communione sua homines contrarias sententias secutos: nos quoque moderatio illa decebit, vt feramus homines per errorem lapsos, amice interdum moneamus, neque vi et armis, sed argumentis et beneficiis, vel pietate ipsa vincamus. Si in controuersiam adducuntur decreta antiquis incognita, disceptent doctores, non DEI caussam, sed litterarum apud doctos acturi; quae si vero in concionem indoctae multitudinis proferuntur, communicantur cum plebe, ab vtroque peccatur, a cuiuscumque demum parte steterit veritas. Vtinam memores essent Apostolicae probitatis! Ille vero: *Tu cur damnas*, inquit, *fratrem tuum? aut cur tuum fratrem despicis? cum simus omnes ad Christi tribunal adfuturi — — — Debemus autem nos, qui fortes sumus imbecillorum infirmitates tolerare, neque nobis ipsis indulgere — — Si quis aliquo delicto anticipatus fuerit, vos eum, qui spirituales estis, reficite cum animi comitate, aspicientes vos ipsos, ne vos quoque tentemini.* Sic tandem ingredi liceret spem, fore vt modestiores, atque humaniores sint in iudiciis de opinionibus aliorum ferendis, neque surgant vitiati censores, qui meritissimorum virorum famam iniuriis et conuiciis lacerent, intempestiuo et alienissimo puritatis,

quam

quam dicunt, amore ſtudioque adducti. Nonne enim ab omni humanitate abhorret, pios viros opinionum diſſidia omnino non fundamentalia, atque quaeſtiones hiſtoricas et criticas infami et inuiſo nomine dedecorare? ſalutarius fuiſſet rebus Chriſtianis, ſi de iſtis controuerſiis amice conſtitutum eſſet. An magi, qui IEſum Bethlehemi natum adoratum venerunt, commenticiorum deorum cultores fuerint, an Iairi filiola vere mortua ſit, quae et quanta ſit ſacrorum rituum vis, qua fide, quorum ſcripta ſuperſunt, antiqui doctores, iique non Θεοπνευστοι vſi, et quae cetera ex hoc genere ſunt, de his in vtramque diſputari partem, adfirmari iſta, negari poterunt ſalua fide, nec fuit, cur tantos clamores ederent ſacrorum nimis anxii cuſtodes.

Quando vero proxima tractationi noſtrae quaeſtio *de erroribus fundamentalibus* eſt, de his quoque mentem breuiter explicare lubet. Is vero ex noſtra ſententia errat fundamentaliter, non qui ignorat, ſed qui negat et impugnat veritatem fundamentalem primi ordinis. Ille igitur erudiendus, hic, ſi nobiſcum ſacris communibus vtitur, erroris conuincendus, nec, ſi vir pius fuerit, virtutis fideique tenax, e ſocietate eiiciendus eſt, fruſtra quaeſiturus diſciplinam, quacum omnino conueniat, aut quae ſit omnis erroris expers. Alia prorſus res eſt cum ingenti populo, qui rebus externis, iuribus, priuilegiis, beneficiis adductus non tolerantiam modo poſtulat, hoc enim humanitatis ius eſt, ſed etiam communitatem ſacrorum.

Quod ſi enim negat articulos fundamentales doctrinae Chriſtianae, vel ipſa naturalis fundamenta deturbat et ſubuertit, praeter diuinam auctoritatem aliam ponit Chriſtianae fidei normam, turpibusque diſciplinae vitiis laborat, nulla cum Chriſtianis poteſt ipſi eſſe ſacrorum communio. In quam calamitatem inciderent res Chriſtianorum, ſi decretis Romanorum Pontificum alligatis credendum eſſet, quidquid ex eorum ſede tamquam e caelo dictaretur? Obeſſe vero errores fundamentales nullius ſaluti recte creduntur, niſi hominis Chriſtiana doctrina probe imbuti, qui vitio animi errat. Quantis erroribus premebantur Apoſtoli? Diſerte negabant, fore vt IEſus interficiatur; Thomas noluit credere, eum rediiſſe ex inferis, niſi lateri eius manum admouiſſet, quam infirmitatem quam clementiſſime tulit, neque eos grauiſſimis ſuppliciis minaciter terruit IEſus. Neque iſta in vllum errorem, niſi cum inſigni coniunctus peccato fuerit, in ſacris litteris conſtituta ſunt: his vero nos equidem inhaeremus. Clauſulae igitur loco ponimus aurea illa TVRRETINI, qui: *optandum*, inquit, *vt primarium illud, vereque fundamentale Reformationis noſtrae principium de SCRIPTVRA SACRA VNICA FIDEI NORMA* animo excidere *nunquam patiamur, adeoque nullis hominum coetibus, nullis humanis ſcriptis, quantacumque auctoritate vel doctrina praepolleant, fidem noſtram mancipemus, ſed omnia, quantà quanta ſunt, ad Verbi Diuini normam expendamus.*





